

17 Biblioteca
ASTRA, Sibiu

P.C.N.
05

SIV 2020

N^o 2575.

2.40

*J*OSEPHI
ANTONII
TRANSYLVANI,
ADVERSUS VINDICIAS
Fr. HYACINTHI CAMPION,
Conventus à BUDA, ab anno
E X
ORDINE MINORUM OBSERVANTUM
P R E S B Y T E R I.
U T R A S Q U E.
APOLOGIA ALTERA.



CUM PERMISSU SUPERIORUM.
A G R I Æ.

TYPIS SCHOLÆ EPISCOPALIS. M. DCC. LXVIII



3264

A S S E R T I O N E S
S E L E C T Æ
Ex Universa Theologia, S. Scriptura,
& SS. Canonibus.
IN ACTU PUBLICO
HONORIBUS
Admodum Reverendi Domini
GABRIELIS NAGY,
Oppidi Hevess Parochi Zelantissimi,
Patroni Gratiissimi Dicato
Disputationi Expositæ ,
Q U A S
AUTHORITATE, & APPROBATIONE
REVERENDISSIMI,
AC CLARISSIMI DOMINI,
DOMINI
M I C H A E L I S
AMBROSOVSZKY,
Abbatis B. M. V. de Egres, Vener.
Capit. Cathedr. Ecclesiae Agriensis Le-
ctoris , & Canon. Archi-Diac. Szabol-
cesensis , SS. Theologiz Doctoris , ac in
Schola Episcopali Agriensis Studiorum
D I R E C T O R I S .

—♦:*****♦:*****♦:*****♦:
A G R I Æ , T Y P I S S C H O L Æ E P I S C O P A L I S .

E X
PRÆLECTIONIBUS

*Reverendissimorum, ac Clarissimorum Dominorum,
DOMINORUM*

JOANNIS SCHMELCZER,

**Archi-Diac. de Tarcza - fő, Cathed. Eccl.
Agriensis Canon. Theologi Collegii Foglariani
nee non Studii Juridici Directoris, SS. Theologie
Doctoris, Sacrorum Canonum,**

J O S E P H I M A J O R ,

**Archi-Diac. Pathensis Ven. Capit. Cathed.
Ecclesie Agriensis Canon. Adm. RR. DD. Emeri-
terum Parochorum Praefecti, AA. LL. & Philo-
phiae Doctoris, Sacrae Scripturæ,**

A N D R E Æ P Á L ,

**AA. LL. & Philosophiae Doctoris, SS.
Theologie Dogmatico-Speculativæ,**

P E T R I M É S Z Á R O S ,

**AA. LL. & Philosophiae Doctoris, SS.
Theologie Dogmatico-Practicæ ,**

**I N EPISCOPALI SCHOLA AGRIENSI
P R O F E S S O R U M .**

PROPUGNANDAS SUSCEPIT

Anno M. DCC. LXIX. Mense Julio die

Admod. Reverend. Excellens, ac Doct. Dominus

IGNATIUS T U M L I E R C Z ,

**Curatus Capellanus Debróvienensis antea Seminarii
B. M. V. in cœlos Assumptæ Leopol. Telek.**

Alumnus,

ADMODUM
REVERENDE DOMINE,
P A T R O N E
MUNIFICENTISSIME!



U T Nomine TUO in monimen-
tum gratitudinis eo dignius
adornarem trophæum, quo
promptior liberalem mibi
probasti animum, ipsa qua-
triennalis sudoris mei laurea Zelum bunc
T U U M , eique mire associatas virtutes
T U A S vere Ecclesiasticas ad imitandum
revelare, ac coronare TUI observantia ju-
bet.

Neque ulli sua hic illudat opinio , me es-
dicandæ gloriæ TUÆ , qua Nominis TUO ,
¶ mibi illuxisti hodie primum accessisse ,
hanc enim jam dudum ipsæ virtutes TUÆ ,
quæ celari nequeunt , ¶ flamma Divini ho-
noris , quæ erumpit ubique , TE super cande-
labrum hocce positum suspiciendum reddide-
runt ; at ne forte aut absconderetur Civitas
supra montem posita , aut accensa modio te-
geretur lucerna , Inclytæ bujus Provinciæ
Principali Oppido Pastorem elegerunt , ut
eo , unde nomen accepit , inde per TE for-
tiretur , ¶ virtutem . Nec immerito equi-
dem iſuui : tanta enim TUA in omnibus pro-
batur dexteritas , in concipiendo sapientia ,
in eloquendo suavitas , in agendo prudentia ,

ut TE non modo tacentem sustineant omnes,
loquentem respiciant, verum etiam TE plura dicente orexi plura audiendi perfundantur ampliori. Unde mira TUA facundia,
si ita fari licet, linguae Patriæ Ciceronem,
Divini verbi gladium bis acutum, non vanne prodis, dum infirma consolidas, quod ægrum sanas, & quod confractum est, alligas, ut adeo virtutem a TE exire ad robur, & medelam sani mirentur, glorientur debiles. Quo vero clarius lux Pastoralis Zeli TUI luceret hominibus, singulares Tibi cum natura venerunt dotes, ut enim nobilitatem generis, qua nominis adæquas mensuram, subticeam, adjunctum eidem rārum agendi, conversandive modum, quo

Deo , ac etiam hominibus dilectum TE præstisti , quis satis deprædicet ? Hæc tam rata Numinis munera sedem in IE fixissè priusquam munificam mibi porrigeres manum , fama nominis TUI vulgaverat , meque TUÆ allexit clientelæ ; sed viciisse TE virtutibus famam , atque vel ipso nomine magno majorem esse , TUA industria positi , erectique Ecclesiæ TUÆ muri , sacra supplex qua instruxisti , aræ , quibus ornasti utriusque Reipublicæ bono recens erecta fazygum schola , cuius sumptibus liberalitas TUA non parvam accessionem fecit . Verbo ut cætera silentio premam , præsens hæc ipsa dies , quæ TUA in me taceo cognitum , at ne visum quidem prius liberaliter profusa

fusa cum triumpho excipit dona, palam faciunt omnibus, testanturque. Quam hæc omnibus magna, TIBI tamen soli videntur minima, ni aliis quoque ad hæc campum aperias, ut arreptum viriliter decurrant stadium, ac tandem optatam adsequantur metam, munificentia efficias. Quod quando Præsuli nostro Gratosissimo, scientiarum Fautorij studiosissimo cedat solatio, TIBI vertat honori, nobis sit incitamento, subtili-
ceo facilius, quam enarrem. Id votis omnibus studiisque precor, ut Deus O. M.
qui TE naturæ donis cumulavit zelo domus suæ, pietate, amore sui, ac proximi armavit, bonorum omnium solatio, scholæque nostræ decori promovendo quam diutif-

sime fospitem servet. Pone votum hocce meum in munificentiae TUÆ, & gratitudinis meæ sempiternum documentum, & me Nomi ni TUO semper devotum, quem dilexisti ignotum, jam Clientem favore, & amore prosequere.

**ADMODUM REVERENDÆ
DOMINATIONI
TUÆ.**

Devinctissimum
IGNATIUM TUMLIERCZ.

DE



DE
DIVERSIS JURIBUS IN GENERE,
AC
IN SPECIE DE JURE CANONICO,
ET CIVILI, TAM COMMUNI,
QUAM MUNICIPALI.

I.

Juris naturæ, aliorumque Pseudo-Eucleatores hæretici, eisque adhaerentes pravo suo systemate erroribus, confusioni orbis universi, licentiæ infrunitæ sentiendi, & agendi quod lubet, aliisque plurimis malis straverunt viam. II. Contra quos ajo, jus naturæ esse ordinationem rationis a Deo ut authore naturæ necessario factam, & per lumen rationis primitus omnibus manifestatam. III. Ex quo intelliges subjectum esse privative creaturam rationalem juris naturæ; objecta ejusdem actiones, & omissions, quæ de se petunt præcipi, vel prohiberi, aut permitti in omni circumstantia illa.

IV. Alia incerta ; nempe : a supremo Dei ,
ab alto Reipublicæ , denique a privatorum
quorumcunque dominio pendentia . V. Perin-
de immutabilitatem in ratione tam formali ,
quam materiali in aliis ; in aliis tantum in for-
mali epicheiam improprie dictam agnosces .
VI. Jus hocce confiteri debes præceptivum ,
prohibitivum irritans , & permissivum , ni
negare velis potestatem legislativam Divi-
nam positivam , & utriusque Reipublicæ hu-
manam . VII. Et ideo statuitur , Deum quo-
que præcepisse , vel prohibuisse lege positi-
va , quod non erat præceptum vel prohibi-
tum lege naturali . VIII. Sed & gentes sibi
constituerunt quædam jura a naturali , Di-
vino , & Civili adæquate distincta . IX. Quia
vero lex naturalis , Divina & gentium non
se extendunt ad omnes actiones , & omissio-
nes humanas præcipiendo vel prohibendo re-
stant quoque Principibus sacrī , & politicis
plura præcipienda , & prohibenda , complu-
ra etiam permittenda . X. Has potestates ,
qui in uno infundate coarctat , aut in pluri-
bus independentes ad invicem indiscrete asse-
rit ; jus tamen placiti Regii ad vigorem le-
gis Ecclesiasticæ , aliaque complura Principi
ſæculari in res , & personas Deo dicatas ad-
ſruit , manifeste sibi contradicit . XI. Idem
facit dum Summo Pontifici jus convocandi
Concilia Æcumenica tamquam partem pri-
matus tribuit ; prima nihilominus octo Con-
cilia sola Imperatorum auctoritate (quo in-

uper docet se peregrinum in gestis illorum
temporum) convocata Æcumenica confite-
tur. XII. Parem confusionem prodit dum
Concilium Æcumenicum in rebus Fidei &
morum infallibile, in disciplina vero Eccle-
siæ externa fallibile proponit. XIII. Sta-
tum Ecclesiæ (si credis Christo apud Matth.
c. 16. & Joan. 21. loquenti) Confiteberis
Monarchicum. Imperii Romani similem le-
ges produnt Regnorum, & Provinciarum
aliarum municipalia statuta exhibent. XIV.
Et ideo acceptatio legis in Statu Monarchi-
co locum non habet, sed unice obsequendi
necessitas eundem obtinet; in Monarchico
mixto, Aristocratico item, & Democratico
partem essentiali agit. Promulgatio vero
nullius legis essentiam ingreditur. XV. Hinc
leges universales Ecclesiasticas, quibus obli-
gentur omnes Christiani ferre potest sive in-
sive extra Concilium generale solus Pontifex
ita, ut nullus aliis jure ferre valeat leges
Ecclesiam, res sacras, causas pias, aut per-
sonas Deo dicatas concernentes. XVI.
Omnes attamen Legislatores suos subditos
obligant in conscientia sive lege prohibente,
sive præcipiente, sive irritante, sive poenali,
sive permittente saltem ad aliquid. XVII.
Jurisdictio Vicarii in Hyerarchia Ecclesiasti-
ca, est ordinaria, eademve cum jurisdictione
ejusdem, cuius Vicarium agit. XVIII. Quia
vero Summus Pontifex est Christi in terris
Vicarius ejus judicium sive in rebus fidei, si-

ve morum , seu disciplinæ etiam externæ ,
ita irretractabile est , & ultimum , ut a nulla
potestate reformari possit ; sed ei obsequium
ab omnibus Christianis non tantum interea ,
sed constanter exhiberi debet . XIX . Etenim
illum Christus posuit centrum veritatis , &
infallibilitatis Ecclesiæ ita , ut ab illo ligatum
in terris maneat ligatum , & in cœlis , ab illo
solutum in terris , sit solutum & in cœlis .
XX . Christus , ejus successive Vicarius , &
Ecclesia Catholica specialiter in binis Con-
ciliis generalibus nempe : Lateranensi sub
Leone 10. sess. 9. & Trid. Sess. 25. c. 20.
Exemptionem personarum Deo dicatarum a
potestate sacerdotalium jure Divino , & huma-
no , ordinatione item Divina , & Canonicis
sanctionibus factam asserunt ; tepidi nonnulli
Christiani originem exemptionum ex privi-
legiis Principum sacerdotalium repetunt ; con-
cludat Orthodoxus Orbis utri potius creden-
dum . XXI . Sed & beneficia , cum sint jura
perpetua percipiendi redditus ex bonis Eccle-
siasticis ratione spiritualis officii , Laici tam
parum conferre , quam parum consequi va-
lent ; licet præscriptione a personis alias ha-
bilibus obtineri possint . XXII . Hinc pote-
stas instituendi præsentatos de jure communi
pertinet ad Episcopum primario , dein ad
Vicarium ejus , vel Capituli sede vacante ,
cujus authorizabilis , Laici sunt incapaces .
XXIII . Capituli Sede vacante in præjudicium
Ecclesiæ , vel successoris acta , & alienatio

re-

rerum immobilium, mobiliumque servando
servabilium non tantum illicita, sed una
irrita. XXIV. Hæc ipsa alienatio, & in alias
usus conversio rerum Ecclesiasticarum in aliis
quoque pluribus juribus reprobatur ita, ut
ne assensum quidem præbere jubeamur im-
provide affirmantibus (verba sunt Divi Re-
gis Stephani) non debere esse res domini-
cas, id est, Domino dominantium traditas.
XXV. Quin titulo quoque specialis hypo-
thecæ non tantum canone, sed etiam lege
Regni impignorari prohibentur. XXVI. Et
merito: donatio enim Ecclesiæ ob cultum
Divinum promovendum facta tantominus re-
vocari potest, quanto amplius per eam ju-
ris etiam radicalis simpliciter translatio facta
esse dignoscitur. XXVII. Interim Clerus ex
bonis Ecclesiasticis fructus, quos lucratur ita
facit suos, ut de illis vita comite, & mortis
causa disponere valeat. XXVIII. Ab inte-
stato autem decedentibus succedit Episcopus,
Ecclesia, pauperes, & parentes. XXIX. Por-
tio Canonica ex Funeralibus, privilegiis ha-
etenus emanatis non extincta, sed neque per
consuetudinem, aut præscriptionem obliga-
tio eandem præstandi cessavit, aut cessare
potest. XXX. Decimæ materialiter, & quo-
ad substantiam spectatæ debentur Clero cu-
rato, tam jure naturali, quam Divino; for-
maliter autem, quatenus inferunt determina-
tam decimam partem jure Ecclesiastico,
ac municipali Hungarico administrantur.

XXXI.

XXXI. Has, ut sunt spirituali annexæ, aut considerantur, ut jus decimandi directum primarium, Laici nec possidere, nec ullo titulo etiam præscriptionis immemorialis acquirere possunt. XXXII. Ecclesiis, aut beneficiis censum novum imponere, aut antiquum augere nequit Patronus, neque alter quisunque excepto solo Pontifice summo. XXXIII. Immunitas siquidem non tantum personalis, & realis ordinatione divina facta, verum localis quoque exinde originem suam petit: Ecclesia namque exemplo juris asyli in antiqua lege a Deo concessi statuit parem immunitatem confugientibus reis ad loca sacra, secundantibus idem piissimis Principibus ob reverentiam principaliter sacrorum locorum. XXXIV. Non absimiliter matrimonium Christianorum cum sit contractus sacer ex institutione Christi, verumque Sacramentum, in quo ratio Sacramenti a ratione contractus probabilius separari nequit; XXXV. A potestate sæcularium ita est liberum, ut nec impedimenta dirimentia possit statuere aliis, quam solus Pontifex XXXVI. Canonica interim consuetudine hujusmodi impedimenta introduci valent. XXXVII. Hinc metus injuste, & directe incussus ad extorquendum matrimonium, raptus item, & disparitas cultus, nec non publica honestas, jure tantum Ecclesiastico dirimunt matrimonium. XXXVIII. Clandestina quoque matrimonia Christianorum olim valida & Sacra-
tue-

fuere; nunc ubi disciplina Concilii Tridentini
viget in nulla ratione subsistunt. XXXIX.
Verum Polygamia, & Poliviria juri natura-
li, Divino, humanoque repugnat. XL.
Matrimonium sub conditione repugnante
substantiae ejusdem in pactum a contrahenti-
bus deducta nulliter contrahitur. XLI. Hæ-
reticorum attamen matrimonia, sub condi-
tione, donec fidem thori servaverit, con-
tracta, restricta dicta conditione ad separa-
tionem quoad thorum pro validis sustinen-
tur. Extensa vero etiam quoad vinculum
pro nullis habentur. XLII. Tam ordo sa-
cer quam professio religiosa matrimonium
valide contrahi non finit; imo professio etiam
contractum ratum dissolvit jure Ecclesiastico.
XLIII. Sola impotentia coeundi antecedens
perpetua, sive absoluta, sive respectiva diri-
mit matrimonium. XLIV. Sed respectiva
non habet locum inter personas alias natu-
raliter constitutas: hinc conjuges ambo depre-
henso impedimento certo, aut valde vero-
simili possunt reclamare. XLV. Sola fœmina
post longiorem cohabitationem impedimen-
tum quodpiam prætendens, viro negante,
non est audienda, nisi vellet probare se
esse adhuc virginem. XLVI. Delictum,
quod relate ad forum externum dicitur esse:
libera, & exterius sensibilis transgressio le-
gis, substernitur correctioni, aut vindictæ,
accusatione denuntiatione aut inquisitione.
XLVII. Accusatio de delictis venereis lo-
cum

cum non habet lapsus quinquennio , in aliis post vicennium. In inquisitione mansueta reo jam in manibus judicis existente abesse debent interrogationes captiosæ ; severa , seu per torturam institui nequit , nisi præcesserint indicia valde urgentia , aut semi-plena proba. XLVIII Infideles non baptizati directe , & per se cogi non possunt ad amplectendam religionem Christianam ; eorum tamen infantes in certis casibus invitit parentibus baptizari possunt. XLIX. Cum Hæresis crimen sit Deo summe injuriosum , animabus maximopere noxium , Reipublicæ turbativum , ea propter gravissime prohibitum est , omni jure cum Hæreticis vitandis communicare ; libros ab iisdem de religione scriptos , aut hæresim continentes legere. L. Absolutio a damnata hæresi solis Prælatis in Hungaria reservatur ita , ut omnibus regularibus absque speciali indultu Diœcesanorum negetur.



EX SCRIPTURA SACRA.

I.

Scriptura Sacra est Verbum Dei , ab hominibus afflante Spiritu Sancto, scriptum, certo Ecclesiæ judicio propositum , primam credendorum , agendorumque regulam continens. II. Hæc prærogativa Scripturæ Sacræ requirit , ut in omnibus suis partibus , ac singulis verbis sit proprie a Spiritu Sancto inspirata , & dictata. III. Libri tales Divini sunt omnes illi , quos SS. Concil. Trid. Ses. 4. recenset. IV. Originarii textus Scripturæ Sacræ , saltem quoad fidei , & morum doctrinam , etiam nunc sunt authentici. Versiones authenticæ sunt tantum Græca LXX. Interpretum ; & Latina vulgata. V. Authenticas editiones Scripturæ Sacræ cuivis legere licet , non tamen quivis legere obligatur. VI. Præter verbum Dei scriptum , admittendum est etiam non scriptum , seu Traditiones Divinæ. VII. Auctor Pentateuchi Moyses est. Qui Gen. cap. I. 1 , 2 , XIX. 24. XX. 13. Dogma Catholicum de SSS. Trinitate agnovit. VIII. Melchisedech verus ab Adamo descendens homo fuit. Qui Gen. Cap. XIV. 18. Sacrificium Panis , & Vini , uni vivo , & vero Deo obtulit. IX. Ex vaticinio Jacob Gen. XLIX. 10. invicte ostenditur Messiam jam adyenisse , in quo nomi-

)()

ne

ne *Juda* sola nominis hujusce Tribus, nomine vero *Schebeth* Regia dignitas intelligenda est. X. Durities cordis Pharaonis Exod. Cap. IV. & alibi relata non Deo, sed Pharaoni est tribuenda. XI. Numer. Cap. XX. IO. Moyses, & Aaron incredulitate non de potentia; sed de effectu promissionis Dei offendiderunt. XII. Liber Judicum complectitur historiam super vario statu populi annorum præcise 299 XIII. Jephte Judic. Cap. XI. votum suum inconsidere emissum v. 31. damnabiliter executus est v. 39 filiam innocentem in holocaustum offerendo. XIV. I. Reg. XIII. v. 1. prior pars ad caput præcedens; posterior vero ad v. 2. pertinet, nec potest exponi de universo tempore regiminis Saulis: cui Cap. XXVIII. Samuel in corpore de aere assumpto, Deo jubente, mortem prænunciavit. XV. Peccata Davidis mortalia non nisi II. Reg. XV. referuntur, quæ tamen seria pœnitentia abstersit. XVI. Salomon filiam Pharaonis sibi matrimonio jungens erat irreprehensibilis: verum postquam depravatum est cor ejus, dubium etiam supereft de salute ejus æterna. XVII. IV. Reg. V. 18. Naaman Princeps Syriæ ab Eli-sæo nec petiit simulationem idololatriæ, nec eam Propheta admisit. XVIII. Duo tantum libri Esdræ sunt Canonici: Tertius tamen, & quartus etiam ab omni fidei errore defendi possunt. XIX. Liber Tobiae probabiliter ab utroque Tobiae conscriptus, Angelum Raphaelem


lem nequaquam mendacem facit. XX. Libri
Judith Cap. IX. 2. non contrariatur facto Gen.
XXXIV. aut sensui Jacob Gen. XLIX. 5,
& seqq. Cap. X. 12, & aliis Judith usa stra-
tagemate hostili a peccato gravi immunis
fuit. XXI. Historia Esther, quoad omnes
suas partes authentica, non nisi Darii, Hy-
staspis filii, temporibus convenire potest.
XXII. Liber Job veram continet historiam:
evincitur enim e scripturis, Job virum pa-
tientissimum, de genere Esau, Regem in
Idumaea fuisse. XXIII. Job longo suo discur-
su nuspiam graviter offendit Cap. V. 1. lici-
tam invocationem Sanctorum; Cap. vero
XIV. 4. peccatum originale profitetur. XXVI.
Cap XIX. 25. & sequ. haec duo significant:
primum, Job credidisse venturum Messiam,
verum Deum, & Hominem, Redemptorem,
moritum, & resurrectum; alterum, cre-
didisse communem omnium carnis resurrec-
tionem. XXV. Utrum omnium Psalmorum
unus David sit auctor, incertum est. Ex Psal.
XXXI. male infertur in hac providentia pec-
cata remitti per puram non imputationem:
XXVI. Librum Proverb. Salomon Spiritu
Sancto inspiratus scripsit. Qui Cap. XXX.
1. Congregantem, Cap. XXXI. 1. *Lamuel*
fese; *Vorientem* vero Davidem compellat.
XXVII. *Visio* Cap. XXX. prophetica est de
Christo, qui hic *Ithiel*, non secus, ac alibi
Emmanuel nuncupatur; & v. 4. Filius Dei
naturalis dicitur: v. vero 19. de *Aimah* nasci-

turus prænunciatur. XXVIII. Nulla ratio
evincit librum Sapientiæ, seu a Philone, seu
Jesu, filio Sirach, vel etiam Salomone con-
scriptum esse. XXIX. Auctor Libri Ecclesiæ
stici, filius Sirach, Jesus, probabiliter unus
e LXX. Interpretibus, nusquam contrarius
est Dogmatibus Catholicis. XXX. Ideo Cap.
XXXI. v. 10. legi non debet per interroga-
tionem : nec ex Cap. XXXIII. inferri repro-
bationem factam esse independenter a deme-
ritis prævisis. XXXI. Infertur tamen ex cap.
XLIV. 16. Henoch translatum adhuc vivere,
cumque Elia cap. XLVIII. 10. venturum.
XXXII. Isaías Cap. II. 3. prædictit Synago-
gæ successuram Ecclesiam, visibilem, & Ca-
tholicam. XXXIII. Cap. VII. annuntiat Mes-
siam nasciturum de Virgine: quem ut mittat
Páter æternus, orat Cap. XVI. 1. XXXIV.
Jeremiam in utero matris justificatum esse
non infertur ex Cap. I. 5. Initium annorum
LXX. Captivitatis probabilius reponitur ad
transmigrationem Jechoniæ. Cap. XXIX. 10.
XXXV. In Threnis non mortem Josiæ, sed
excidium Urbis, & Templi, suam, Christi-
que passionem deplorat. XXXVI. Ezechiel
Cap. IV. 4, 5, 6. reipsa incubuit lateri sini-
stro per dies 390. Significare volens totidem
annos idolatriæ Israel, & totidem dies ob-
sitionis Jerusalem ; lateri vero dextro per
dies 40. Innuens totidem annos Idolatriæ
Juda, totidemque dies excidii Urbis, &
Templi. XXXVII. Danielis Cap. IX. 24. de-

ter,

terminatæ LXX. hebdomadæ usque ad ad-
ventum Messiæ initium fumperunt in anno
VII, Artaxerxis Longimani. XXXVIII. Nul-
lus minorum Prophetarum est, qui non quam-
piam temporum Messiæ circumstantiam dete-
xisset. XXXIX. Machabæorum duo sunt libri
canonici. Lib. II. Cap. XII. v. 42, & seqq.
ex facto Judæ recte infertur, veteres cre-
didiſſe Purgatorium, ubi animæ defunctorum
precibus vivorum juvari possint: & ex Cap.
XV. 14. Sanctos mortuos vere orarepro vi-
vis. XL. Quatuor voluminibus complexi
sunt Evangelistæ dicta, & facta Christi Domi-
ni. Deductio genealogiæ tunc apud Matthæ-
um, cum apud Lucam ad Christum pertinet.
XLI. Ex Cap. V. 34. Matth. inferri non po-
t est, homini Christiano in quacunque circum-
stantia illicitum esse juramentum: nec ex Cap.
VII. 18. iubilatam esse hominis libertatem:
nec ex Cap. XI. 41. Luc. per solam Ele-
mosynam quæcunque peccata remitti. XLII.
Joan. Cap. VI. 27. & de cibo spirituali ani-
mæ, & Eucharistico exponi debet: v. 54.
datum præceptum nec ad omnes fideles, nec
ad parvulos extendi potest sensu hæreticorum.
XLIII. Matth. XVI. 18. nomea Petræ etiam
Simoni attribuitur, ideo male ei denegat Cal-
vinus primatum inter Apostolos. Zacharias
Matth. XXIII 31. est Filius Jojadæ Pontifi-
cis. XLIV. Joan. Cap. XX. 22, 23. de Sa-
cramento Poenitentiae, peccatorum vere re-
missivo, exponi debet. XLV. Act. Cap. IX.

S. verbis : *Et baptizati sunt in nomine Domini Iesu* perperam : *soli*, etiam interpretative additur. XLVI. Anni 430. Galat. III. 17. relati computantur a vocatione Abrahæ. Cephas, cui Paulus in faciem restitit, Simon Petrus est. XLVII. II. Thessal. II. 3. per discessiōnem significatur defectio plena Populorum a Romano Imperio ; & per hominem peccati, Antichristus. XLVIII. Jacobi V. 14. promulgatur Sacramentum extremæ unctionis, prius a Christo institutum, ut ait Concil. Trident. Sess. XIV. Cap. I. XLIX. I. Joan. V. 7. significat : SSS. Trinitatem testimonium perhibere de Divinitate Christi Domini, uti de humanitate Ejus testimonium perhibent: Spiritus, aqua, & Sanguis. L. Apocalypsim scripsit S. Joannes Apostolus in Insula Pathmo, sub Domitiano Imperatore. Cap. I. 4. explicat nomen Tetragrammaton dicens : *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est.*



DE
DEO UNO, ET TRINO, IN-
CARNATIONE, GRATIA, EC-
CLESIA, ET VIRTUTIBUS
THEOLOGICIS.

I.

Existentia Dei non solum invicto argu-
mento a rebus visibilibus petito adver-
sus Atheos demonstratur, verum etiam ex
omnium pene Populorum consenso ita com-
probatur, ut merito inter insipientes nume-
retur, qui dixerit in corde suo: *Non est Deus.* II. Gradus Essentiæ Dei constitutivus
est independentia, seu aseitas omnimoda.
III. Simplicitas Dei omnem excludit com-
positionem, distinctionem item quamcunque
realem, aut formalem, non tamen virtualem
inter attributa Divina tam absoluta, quam re-
lativa ad Essentiam comparata, & absoluta
ad invicem IV. Immensitas Deum non mo-
do secundum scientiam, ac potentiam, sed
etiam substantiam rebus omnibus intime præ-
sentem facit. V. Qui, ut oculis corporeis
nunquam est visus, nec videri potest, ita ab
intellectu creato per solas naturæ vires nec
videri, nec lumine gloriæ adjuvante compre-
hendi valet. VI. Intellectus creatus lumine
gloriæ elevatus ad visionem active concurrit,
lumen tamen illud nulli creaturæ debitum, ac
connaturale est. VII. Beati vident omnia,

quæ sunt in Deo formaliter , ac necessario secundum proprias , ac necessarias eorum rationes , non tamen secundum varios ad creaturas respectus. VIII. Repugnat videri Essentiam Dei visione faciali sine attributis , aut horum unum sine alio , Personam unam absque alia. IX. Ejusdem speciei est visio beatifica Angelorum , & hominum , non tamen æqualis in omnibus Beatis. Inæqualitas hæc oritur ab inæqualitate meritorum tanquam cauſa morali , & inæqualitate luminis gloriæ , tanquam cauſa physica , non vero a majori , vel minori intellectus perspicacia. X. Est in Deo veri nominis scientia , eaque perfectissima , quæ non modo ad objecta necessaria , verum etiam contingencia , nobis libera , tum præterita , tum præsentia , tum etiam absolute futura , imo etiam ad conditionata se extendit. XI. Necessaria videt Deus per simplicem intelligentiam , contingencia vero præterita , præsentia , & absolute futura per scientiam visionis , conditionate futura per scientiam , quæ conditionatorum dicitur. XII. Datur in Deo vera , ac propria voluntas per modum actus , non potentiaz , quæ varia sortitur nomina ratione diversorum objectorum. XIII. Res humanæ nec fatali necessitate , nec casu fortuito eveniunt , sed omnia entia etiam abjectissima Divinæ subjacent providentiaz , cuius specialis effectus est prædestinatio , quæ ad primam gratiam pure gratuita est. XIV.

Prædestinatio absoluta , & efficax ad gloriam ut coronam facta est post merita absolute prævisa , nec prædestinatis veram agendi necessitatem imponit certa , & immobilis . XV. Non datur negativa reprobatio a gloria ante prævisum quocunque peccatum , nec originale dimissum est causa reprobationis adulorum , sed actualia prævisa eorum demerita . XVI. Deum esse trinum in personis realiter distinctis , fundamentalis fidei articulus est , & quidem post sufficientem Legis Evangelicæ promulgationem necessitate mediæ credendus . XVII. Datur in Deo proprie dicta processio , eaque tantummodo duplex ; quarum quælibet æterna , necessaria substantialis , Metaphysica , ac immanens est . XVIII. Discri-
men esse inter generationem filii , & proce-
sionem Spiritus Sancti fides docet , ratio hoc
assignat : quod Verbum procedat per intelle-
ctum , qui vi sua est assimilativus , Spiritus
Sanctus autem per voluntatem , quæ vi sua
assimilativa non est . XIX. Sunt in Deo ve-
ræ , ac reales originis relationes , videlicet :
Paternitas , Filiatio , spiratio activa , & spi-
ratio passiva , quæ non sunt accidentales ,
aut adventitiæ , sed essentiales , ac internæ .
XX. Præter existentiam absolutam in Deo
non sunt variæ , ac distinctæ pro numero
Personarum existentiæ relativæ . XXI. Ver-
bum Divinum procedit formaliter ex cogni-
tione Divinæ Essentiæ , attributorum , perso-
nalitatum , omniumque creaturarum possibi-

lium ; non tamen contingentium , nisi con-
comitanter , & per accidens tantum. XXII.
Spiritus Sanctus procedit a Patre , & Filio
tanquam uno Principio , & , si a Filio non
procederet , vi illationis formalis non distin-
gueretur ab illo. XXIII. Mysterium Incar-
nationis possibile est , quod tamen sive ante ,
sive post revelationem sola ratione naturali
positive demonstrari non potest , sed solum
negative. XXIV. Licet conveniens fuerit
Deo , homini , totique Universo , congru-
umque magis , ut Filius quam Pater , aut
Spiritus Sanctus incardaretur ; Incarnatio ta-
men etiam quoad substantiam spectata , huic
operi simpliciter necessaria non fuit. XXV.
Ad hoc tamen , ut genus humanum lapsum
via condignæ satisfactionis repararetur , ab-
solute necessaria fuit Incarnatio. XXVI.
Verbum Divinum assumpsit naturam huma-
nam essentialiter perfectam ; videlicet : ve-
rum , ac solidum corpus ex Beata Virgine ,
& animam rationalem , tanquam partes sub-
stantiales inter se unitas. XXVII. Christus
non est compositus ea compositionis specie ,
quæ fit ex partibus proprie dictis , & incom-
pletis , quæque in scholis appellari solet ex
bis ; bene vero ea , quæ fit per modum nu-
meri , & dicitur cum bis. XXVIII. Fide cer-
tum est ad versus Eutychetem naturam Di-
vinam , & humanam non coaluisse in unam
in Christo naturam. Fide pariter certum est
contra Nestorium unam esse in Christo Per-

sonam: unum Christum: Beatam Virginem
vere Deiparam esse. XXIX. Similiter fides
vera docet duplēm in Christo voluntatem,
& operationem dari, videlicet: Divinam
unam, & alteram humanam. XXX. Christus
ut homo est Filius Dei naturalis, non adopti-
vus, nec ullo sensu vero, & proprio, Fi-
lius Dei adoptivus dici potest. XXXI. Pro-
babilius est decretam nos fuisse Incarnatio-
nem, nisi consequenter ad peccati prævisio-
nem, ejusque reparandi consilium, ac pro-
inde Christum vi præsentis decreti venturum
non fuisse, si Adam non peccasset. XXXII.
Cum Deus statuerit peccatum sine condigna
satisfactione non remittere, idcirco salvandis
hominibus necessariæ fuerunt satisfactiones
Christi, qui etiam vere, proprie, & ad stri-
ctos juris apices satisfecit pro nobis. XXXIII.
Cujus libertati non officit impeccabilitas de-
bita Unioni hypostaticæ, nec impeccabilitati
strictum moriendi mandatum. XXXIV. Gra-
tia Salvatoris proprie, & stricte sumpta re-
cte definitur: Donum supernaturale, crea-
turæ rationali gratis a Deo concessum, in-
tuitu Passionis, & meritorum Christi, in
ordine ad vitam æternam. XXXV. Quæ
quamvis ad omnem omnino actum salutarem
vitæ æternae, & præmii supernaturalis me-
ritorum, ac proinde etiam ad fidem, ejus-
que initium, imo & ad Deum etiam ut au-
thorem naturæ super omnia diligendum ne-
cessaria sit, non tamen ad aliqua legis na-
tu-

turæ præcepta servanda , aut tentationes le-
ves debellandas. XXXVI. Proinde nec
omnes infidelium actiones sunt proprie dicta
peccata. XXXVII. Adamus innocens opus
non habuit ad bene agendum , & perseve-
randum gratia physice præmovente aut ad-
jutorio *quo* , sed cum adjutorio *sine quo* per-
severare in bono potuisset , si voluisset.
XXXVIII. In statu naturæ lapsæ datur gratia
sufficiens , quæ veram expeditam , ac rela-
tivam ad præsentem hic & nunc temptationem
superandam , & concupiscentiæ gradum de-
bellandum confert potentiam. XXXIX. Et
hæc omnibus justis urgente præcepto con-
fertur. XL. Deus omnibus hominibus etiam
infidelibus confert auxilia sufficientia , qui-
bus remore saltem , & mediate ad fidem con-
verti , sicque certis quibusdam gradibus ad
salutem pervenire possint. XLI. Iis etiam
infantibus , quibus sive in lucem editis , si-
ve in utero materno absque ulla Parentum ,
aut aliorum culpa decedentibus , nulla huma-
na industria Baptismus applicari potest , Deus
de remedio salutis sufficienter quantum est
ex se providit. XLII. Hæreticum est effi-
caciæ gratiæ repetere ex delectatione coe-
lesti indeliberata , superiori , & relative ad
minorem concupiscentiam viatrice , volunta-
tem ad consensum necessitate. XLIII. Pro-
babilius videtur eorum systema , qui effica-
ciæ gratiæ repetunt ex ipsa virtute gra-
tiæ tanquam a causa , a qua effectus contin-
gen-

genter ; & libere egreditur in aliqua temporis differentia , sub directione scientiae Dei , quæ conditionatorum dicitur. XLIV. Ecclesia Christi est cœtus hominum unius , & ejusdem fidei professione , eorundemque Sacramentorum communione conjunctus sub regimine Legitorum Pastorum , ac præcipue Romani Pontificis. XLV. Cujus judicium , dum ex Cathedra loquitur , in rebus fidei , & morum est infallibile , independenter a consensu Ecclesiæ. XLVI. Judex controversiarum fidei infallibilis est ipsa Ecclesia in Pastoribus suis , interdum per concilia generalia , saepe per Pontifices judicans. XLVII. Virtutes Theologicae sunt tres , videlicet : Fides , Spes , Charitas , quæ in prima justificatione cuivis a Deo cum gratia sanctificante infunduntur. XLVIII. Præter Virtutes Theologicas per se infusas , & morales acquisitas , sunt aliæ per se nobis a Deo infusæ , pariter supernaturales. XLIX. Objectum materiale fidei Divinæ adæquatum est omne revelatum a Deo ; formale vero quo seu motivum , est auctoritas Dei revelantis ; coalescens ex infallibili sapientia in cognoscendo , & veritate in dicendo. L. Revelatio universalis ad credendum particulare sufficit , modo moraliter certo constet , particulare sub universalis contineri. Unde Pontificem pro tempore existentem esse verum Christi Vicarium , est objectum materiale fidei.

DE

D E
ANGELIS, BEATITUDINE,
ACTIBUS HUMANIS, JURE, ET
JUSTITIA, LEGIBUS, PECCA-
TIS, SACRAMENTIS DENIQUE
IN GENERE, ET IN SPECIE.

I.

Angelos existere fides docet, ratio suadet; sunt spirituales, & immortales, partim specie, partim numero inter se distincti. II. Sunt in loco definitive, & quidem formaliter per præsentiam substantiæ suæ in distantis a loco; statimque a creationis suæ initio sancte sicutem gratiam, ac alia dona supernaturalia omnes acceperunt. III. Qui ex iis peccaverunt cum Lucifero, ita in malo obfirmati sunt, ut omnis eorum actio deliberata moraliter mala sit: Luunt poenas æternas ignis materialis, quatenus illi insolubiliter alligantur, & alio quopiam modo nobis incognito. IV. Boni vero confirmati in beatitudine amplius peccare non possunt, idque habent a statu, & natura Beatitudinis, quæ formaliter consistit in visione, & amore Dei fruitivo, atque gudio inde resultante. V. Corpora hominum omnium resurgent aliquando, & quidem eadem numero, quæ nunc inhumantur, sed sine deformitate etiam reproborum. Transitus ad immortalitatem in omnibus fit mediante morte, quin

quin & victuri ipsa die Judicii prius morientur, ac dein sunt ad judicium comparituri. VI. Homo fidelis vere & proprie meretur, ad quod in statu naturæ lapsæ requiritur libertas a necessitate, nec sufficit a coactione, habetque Homo Viator utramque. VII. Non dantur actus in individuo indifferentes: Nec licet sequi opinionem libertati faventem, & minus aut æque probabilem relictæ tutiore stante pro lege, licet vero, si libertati favens sit probabilior. VIII. Inventor post adhibitam debitam in indagando rei inventæ Domino operam, nec deprehenso, sibi retinere, deque ea disponere potest, cum obligatione tamen restituendi Domino comparenti, in quantum locupletior factus fuerit. IX. Est enim restitutio in re, vel voto ad salutem necessaria; sed & usura Divino & naturali Jure prohibetur, potest tamen ratione tituli extrinseci aliquid ultra sortem accipi, non vero ratione intrinseci. X. Ad Legem naturæ etiam remotiora principia per necessariam consequentiam deducta spectant, nec mutari ullo modo potest. XI. Lex vetus quæ imperfecta fuit negative, data est medio Angelorum per quos ipse Deus loquebatur, abrogata est, & mortua secundum te in morte Christi nec tamen obligare desit nisi promulgata solemniter per Apostolos in Pentecoste Lege nova. XII. Neque tunc illico mortifera evasit, sed quum eversa cum Templo Synagoga per Titum Cæsarem Judæi per

Or.

Orbem dispersi sunt Anno post Christi mortem circiter 40. Unde ante hanc eversionem licite Apostoli quibusdam utebantur legalibus. XIII. Potest Legislator Ecclesiasticus etiam actus internos directe præcipere lege in conscientia obligante, quæ ordinarie promulgari debet, promulgata vero obligat ante acceptationem Populorum. Unde XIV. Qui legem transgreditur etiam in re levi ex contemptu Legislatoris qua talis, peccat graviter; peccatum vero libera transgressio Legis est. XV. Aliud est mortale, veniale aliud, utrumque in positivo consistit; Ad peccatum formale consensus, & advertentia faltem virtualis necessaria est; Hinc peccatum Philosophicum est inane commentum. XVI: Deus peccati qua talis causa efficiens non est, nec concupiscentia per se sumpta peccatum est. Excusat ignorantia invincibilis etiam Juris naturæ a peccato. XVII. Nec est ullius peccati malitia intrinsece infinita, nec omnia sunt aequalia, datur etiam originale, quod filii etiam fidelium contrahunt: excepta tamen sit magna Domina XVIII. A peccatis liberamur ope Sacramentorum. Est autem Sacmentum invisibilis gratiæ sensibile signum ad nostram Justificationem a Christo permanenter institutum, ad quod valide administrandum ex parte ministri necessaria est intentio interna faciendi, quod facit Ecclesia. XIX. Septem sunt novæ Legis Sacraenta; Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Ex-

trema Unctio ; Ordo , & Matrimonium.
Singula Christus immediate per se instituit.
XX. Quæ omnia utentibus sine obice gratiam
sanctificantem internam , & inhærentem ex
opere operato non physice ; sed moraliter
conferunt. XXI. Quamquam repugnantiam
non dicat institutio Sacramentorum pro statu
innocentia , probabilius tamen est nulla in
eo fuisse , nec futura vi decreti præsentis fu-
isse , etiamsi diutius durasset. XXII. Extitisse
vero in Lege naturæ pro parvulis aliquod re-
medium adversus originale , pia est sententia.
Circumcisio non fuit ad remissionem peccati
originalis instituta , sicut Baptismus. XXIII.
Cujus materia necessaria est aqua naturalis.
In forma requiritur ad valorem trium perso-
narum expressa & distincta invocatio. In casu
necessitatis quilibet homo viator licite bapti-
zat. XXIV. Sine hoc aut ejus voto extra ca-
sam Martyrii nemo salvari potest. Marty-
rium supplendo vices Baptismi operatur quasi
ex opere operato. XXV. Flaminis quoque
Baptismus supplet vices fluminis , quantum ad
infusionem gratiæ , remissionem culpe suffi-
cienter retractatæ , non vero quantum ad re-
missionem poenæ omnis ordinarie. XXVI.
Per Confirmationem confertur homini bapti-
zato gratia ad fidem Christi constanter & in-
trepide confidendam ; Minister hujus est Epi-
scopus. XXVII. Possunt tamen simplices
Presbyteri ex certis , & rationabilibus causis
ad hoc Sacmentum committi per Pontifi-

))))

cem.

cem. XXVIII. Eucharistia est verum novæ Legis Sacramentum , cuius rationem constituit Corpus, & Sanguis Christi cum speciebus. XXIX. Præsentia realis Corporis . & Sanguinis Christi e Scriptura, & Patribus invicte demonstratur , neque fidei huic utla ratio naturalis refragatur. XXX. Fit hæc totalis transubstantiatio vi verborum : *Hoc est Corpus meum ; Hic est Calix Sanguinis mei &c.* XXXI. Christus Ecclesiæ suæ dedit potestatem dimittendi peccata, hanc potestatem exercet per Sacramentum Pœnitentiæ, cuius materia proxima sunt contritio, confessio, & satisfactio. XXXII. Contritio perfecta hominem cum Deo prius reconciliat, quam actu Sacramentum Pœnitentiæ percipiatur. Hinc XXXIII. Sufficit ad Justificationem ope Sacramenti pœnitentiæ obtainendam dolor ex motivo pœnæ æternæ conceptus , qui conjunctum habet amorem Dei, qui dicitur spei. XXXIV. Divinum confessionis Præceptum probatur e Scriptura, & Patribus , in qua non tantum speciem mutantes circumstantiæ, sed & intra eandem speciem notabiliter aggravantes apriendæ probabilius sunt. XXXV. Forma absolutionis Sacramentalis vere & proprie dimittit peccata, vi cuius nullum est peccatum irremissibile : an autem deprecative vel indicative proferatur, Christus Ecclesiæ reliquit determinandum. XXXVI. Apud Latinos hæc est: *Absolvo te a peccatis tuis.* Apud Græcos deprecative prolata valida est. XXXVII,

XXXVII. Satisfactio Sacramentalis sive antece-
cedat, sive subsequatur absolutionem, per-
inde est ad integratem Sacramenti poeniten-
tiæ. XXXVIII. Bona justorum opera per
peccatum mortificata beneficio poenitentiæ
subsequentis reviviscunt. XXXIX. Peccata
vero per poenitentiam dimissa nunquam re-
deunt formaliter, sed tantum virtualiter. XL.
Extrema Unctio probabilius post resurrectio-
nem Christi instituta est, cum Discipulis suis
ligandi, atque solvendi tradidit potestatem.
XLI. Ordinis materia essentialis est impositio
manuum, integralis vero porrectio instru-
mentorum; subjectum est solus homo via-
tor, isque Baptizatus. XLII. Minister est so-
lus Episcopus, & quidem Jure Divino, Epi-
scopatus enim est Sacramentum a Sacerdotio,
natura, & charactere distinctum Unde XLIII.
Episcopi sunt Jure, & institutione Divina
superiores Presbyteris potestate tum Ordinis,
tum Jurisdictionis. XLIV. Lex celibatus
quamquam non juris Divini, sed Ecclesiastici
sit, æquissima, atque sanctissima est. XLV.
Matrimonii Sacramentum tum probabilius a
Christo institutum est, cum sua præsentia nu-
ptias cohonestavit, iisque benedixit. XLVI.
Potest etiam ratio contractus a ratione Sacra-
menti separari ita, ut validum Matrimonium
inter Christianos dari possit quoad vinculum,
quod non sit propriæ Sacramentum. Hinc
probabiliter sustinetur, quod XLVII. Mini-
ster Matrimonii, non sint ipsi contrahentes,
fed


sed Parochus , aut alter de ejus licentia
Presbyter. XLVIII. Vinculum Matrimonii
de se est perpetuum , & insolubile tum Jure
naturæ , & ex primæva institutione , tum
Jure Divino, tum ratione Sacramenti. XLIX.
Nec adulterio alterutrius conjugum: L. Ver-
rumtamen ratum , & non consummatum ,
professione religiosa Jure Ecclesia-
stico dissolvitur.

O. A. M. D. G. B. V. M.

E T

S. J. E. H.





AD LECTOREM P R A E F A T I O.

*P*ropositum mihi est hodie Sceanicos cum homine ludos agere, qui flagrantissimo eruditii nominis appetitus Libellum Authoris perantiqui novis insertum tabulis nuperrime divulgavit; & quamvis jocalem mox habuerit me sibi æmulum, qui chartæ folium charactere meo conscriptum eidem objecerim, is nihilominus ut contra folium vires suas efferret alterum audentior edidit Tomulum, mendaciis, calumniis, & inanibus verbis amplissime adauictum. Fucundum sane Literatis spectaculum!

Scire cupis nil dubito Lector benevolè quis tantus hic adversarius fiet? nomen, & omen habe: est Fr. Hyacinthus Campion

à Buda , Instituti Seraphici Regularis
Observantiæ Religiosus. Ecce HOMO.
Qualem autem Librum composuit? Vindici-
as pro Religione sua à Fratricellorum
Hæresi propugnanda ; en prægnans Operis
Argumentum! in hoc tantum sibi sui similes
cæteri placent , ut me dejectum penitus , ac de-
bellatum à Campione suo credant , passimque
inter convivatores glocitent.

Res tota uti video in loquacitate consistit ;
tricari igitur cum adversario decrevi non argu-
mentis , sed verbis. Momenti in rem meam
nihil adducere constitui. Unum ostendam : id-
que importunis duntaxat amicorum precibus vi-
ctus præter meammet intentionem exequar , nul-
lam ab eo adversus Apologiam meam seu ratio-
nem , sive autoritatem denuo productam esse.

Justè illi quidem indignarer , si quod il-
lum audire , non quid me dicere deceat conside-
rarem ; verum Christiani hominis officium , &
Clericalis modestia me admonet , ut malignan-
do æmulari nolim , nec me vinci à malo
patiar , sed vincam potius in bono malum.

Tu Lector benevole Pagellas istas velut
rem ludicram , & facetias temporis fallendi
causa lege. Præterea vale.

R RÆ.



P R A E V I A

*Cum Scriptore adversario de primis ejusdem
Vindiciis, ac Præfatione supra Sermocinatio.*

QUæ hæc est Vir bone (verbis te peto Gregorii Nazianzeni (a) ne si meismet ute-
ter, in ipso mox aditu, ac vestibulo præ-
ceps ad contentionem ruisse, & propositum
violavisse existimarer) quæ inquam hæc est
quæ te invasit certandi libido; quis morbus iste; quæ-
ve inexplebilis rixandi cupiditas?

-- Turpe profecto est, vestitu, ac vitæ instituto tole-
rantiam, animi demissionem, cæterasque virtutes præ-
ferre: in disputationibus autem principatum sibi ven-
dicare, nec cuiquam omnino cedere, verum super omnes
excellere velle. Si doctus es, præstaret utique mansue-
tudinem, & animi æQUITATEM festari, atque potius con-
sulto cedere, quam cum ineruditus sis, temere, at-
que impudenter te altius efferre. Quid enim ob-
secro aliud ex opinione hominum consecutus
es, cum de causa, atque origine acerbius
invectæ adversum te Apologiæ meæ examen

A 3

insti.

(a) Orat. 26. & 33.

instituisti, quam quod temetipsum imminueris; me autem ad ea etiam pervulganda, quæ reticere libenter voluissem improvide concitari. At tu iniquam meam fuisse scribendis rationem procul dubio inquies: quod *Guilielmus Fridericus Damiani nulla umquam à te injuria ne verbo quidem lacepsitus sit*: itane vero? nulla igitur in te sit labes, quod virum hunc Ecclesiasticum quasi immaturo judicio hominem in fraudem impulsu censes, quodque illum indigne traducis, cum ejusdem vicem doluisse te memoras, quasi hunc errorem tanta fiducia, ast minori animi provisione in vulgus emiserit; quod denique pagina Opellæ tuæ 34. calamum te potissimum strinxisse ipse fateris, ut etiam ipsi cœcutientes adversæ sententiæ scriptores visum recipere, & à præjudiciis mentis sive liberari valeant? Heus! nondumne Præsbyterum Damiani temeritatis, aut sublestæ fidei insimulasti? nihil equidem me judice te ab hoc scelere, nisi levitas, aut ignorantia absolvet; si ultiro nempe concesseris eorum verborum significationem, ac sensum te minime expendisse, vel certe assequi non potuisse. Sane qui fraudulentे, ac falso quidpiam comminiscitur, sublesta fide non caret, & qui cœco quodam impetu in scribendo, aut loquendo fertur, temerarius communiter audit.

Habeant proinde cavilla mea gratiam, quia non ex destinato, sed quemadmodum ipse tecum

tecum inique agi putasti , cum socii tui hæ-
refoes postularentur , ita ego , quod è Sa-
cerdotum cœtu confodalem meum proscide-
ris , laceſſitus respondi ; & quamvis modestia
ut probe alleges deceat omnium ordinum homines ,
ea tamen juxta prudentiæ leges uti promi-
ſcue haud expedit ; apposite enim Grego-
rius Magnus (b) Verecundæ mentes , ait : si
quas fortasse culpas admiserint , leniter arguendæ
ſunt , quia ſiasperius increpentur , franguntur po-
tiūs , quam erudiantur . At contra mentes asperæ ,
atque impudentes , ſi increpatæ leniter fuerint , ad
majores culpas ipſa lenitate provocantur . --- Men-
tes enim duræ , niſi aperta eſſent increpatione per-
cuſſæ , nullo modo malum cognoverent , quod egif-
ſent . Nam ſaþe hi , qui impudentes ſunt , tantum
ſe peccafe ſentiunt , quantum de peccatis , quæ fe-
cerint , increpanter : ut minores culpas suas aſti-
ment , quas minor inveſtio caſtigat , & quas ve-
bementer objurgari viderint , majores eſſe depreben-
dant .

Hæc ſententia quam tibi ex aſſe appli-
carि debeat , ipſem et in libello tuo prodidi-
ſi tum præcipue , quando in retorquendis
ſubacutis falibus meis mensuram , & modum
excessisti , atque ita effecisti , ut iniquitas fi-
bi ipſi mentiretur ; eras enim pollicitus in
principio neque acerbe , neque aspere mibi te re-
ſponsurum ; quod an revera præſtiteris , fæcu-
lenta paſſim opusculi tui moles perhibeat ve-

lim. Ferrem nilominus æquo abs te animo eam, quam remensus es contumeliam, modo, ut *Judex*, seu quo sensu voculam hanc ego ex Cicerone traxi cum judicio reposuisse; sed recte ita te respondisse inficiaris, qui retorsionem plerumque adhibes rudibus (pace tua dixerim) & pueris communem, quippe quibus familiare, ac proprium est objectam sibi ignominiam iisdem pene verbis reddere, quo nihil apud Literatos magis insulsum, atque imperitum protuleris. Quid vero me interrogas, cur non potius ego *Litterariæ Republicæ* voluminibus in lucem emitendis consulο? cum non animadverteris me non tam operis parvitatem, quam operæ pretium, seu laboris inutilitatem, temporis que jacturam in te doluisse. Quid etiam admiraris, labore tumultuario, ratiocinio, ordinéque minus digesto me tibi occurrisse? cum rationem in promptu audieris, mihi cum inferni hoste certandum: id quod Philosophi, ac sapientis munus esse debet, rebus, circumstantiisque consilium suum accomodare.

At vero ne quidpiam in Præfatione tua silentio præterierim, ad examen jam vocanda est accusatio tua. Nonne calumniatorem me affirmas, quod Operis tui partitionem ex Dermis Thaddæo te ad literam petivisse divulgaverim, atque ita plagi litterarii crimen à te amoliri contendis? Oleum, et operam virbone perdidisti: etenim, ut Lectori me impo-

nere

nere noluisse aperte quisque videat, conferamus per me licet propositionem Waddingi cum tua, quidque in rem meam inde consequatur, postea judicemus. Ita ipse habes: *Hæc injuriose dicta sunt in Ordinem Minorum ex quibus duo duntaxat, quæ magis ad meum spectant Institutum, & reliquarum injuriarum sunt fundamentum Lectoris subjiciam judicio candide demonstraturus, neque Franciscanos fuisse, quos Pontificium Diploma perstringit, neque Franciscanos Fratricellorum sectam, uti Bzovius afferit collegisse.* sic porro habet Waddingus: *Multa hic injuriose dicta in Ordinem Minorum expendit, & nervosè refellit auctor Nitelæ Franciscanæ Religionis, ego duo duntaxat, quæ magis ad meum spectant Institutum, & reliquarum injuriarum sunt fundamentum, Lectoris substituam judicio, cui aperte demonstrabo, neque Franciscanos fuisse, quos Pontificium diploma perstringit, neque Franciscanos Fratricellorum sectam uti Bzovius afferit collegisse.*

Hic jam nulla mihi tecum disceptatio, sed omnis cum erudito Lectore sermo erit. videat oro quisquis pagellas has volvit, an non Waddingus ipse bipartitam propositionem suam ab auctore Nitelæ Franciscanæ Religionis Dermilio Thaddæo se mutuavisse ultro confiteatur? Reliquum igitur mihi est, ut manifeste palpandum præbeam Libellum integrum ab adversario meo de charta Waddingi ad papyrus suam non furto, seu serpentina quadam prudentia, sed rapina, id est: sine verecundia translatum esse: tum enim vero partitio-

nem æmuli mei ad Dermitium, tamquam ad fontem suum jure, ac merito referemus; vel saltem (forte si a Waddingo, & eruditissimo Wan Espen delusus sum, fateor enim Dermitii Opera ad manus mihi, & ut conjicio nostrum neutri umquam fuisse) efficiemus, ut *incidat in scillam, cupiens vitare charybdim;* & cum adhuc sit occultum, an crimen plagiarium ex Thaddæo hauserit, ex Waddingo tamen certo certius contraxisse fiat exploratum. Obviat ille quidem, & quia factum latere præsummit, audaculus reclamat: *me plagi litterarii crimen eidem perperam exprobraffe.* At ego justam hominis reprehensionem ultra cohibere non possum.

Adverte paulisper animum, redeo tecum ad propositum Hyacinthe, reddoque nunc primùm, quam antea requisieras, cur tantope-
re adversum te efferbuerim, rationem: pervidi
ego scilicet te frontem omnem, ingenuumque
ruborem fermè exuisse, quamprimum rem alienam
pro tua te usurpasse, ac dissertationem viri
clarissimi nomine tuo obscuravisse cognovi;
constitui proinde aspersioñem hanc, ut mihi
quidem videbatur indolem tuam severius in-
crepare, atque ad docilitatem usque emollire.
Propudosum vero facinus dissimulavi propte-
rea, ut opprobrii confusionem à Religione Se-
raphica, scandalum à Republica Litteraria, cri-
men plagiarium à tua persona propulsarem;
verum enimvero tam parum mens sibi male
conscia hæc advertit, ut *justam causam* (verba
sunt

funt tua) quæ me ad *Apologiam convitiorum*, & *cavillationum plenam contra te adornandam impulerit*, adhuc dum non invenias, & mecum *expostulare confidenter pergas*.

Non patiar igitur, quemadmodum per Epistolam alias minitatus fui eminentem hanc vanitatem tuam impune graffari. Eja comparemus. Vindicias tuas Waddingano commentario: tuum esto censorem agere, atque examinare, num pars parti, verbo verbum, totum toti, non fecus atque ovum ovo consentiat. Lectorem tantum commonefieri volo, recitatos longe, lateque authorum textus me utrinque per interpunktiones expressa duntaxat initiali, ac finali voce indicavisse; quam novello hospiti &conomiam plane congruere existimavi, quod incrementum pecuniarum ad mandanda prælo volumina ab ætate, & fortuna provectiore expectari mihi debeat, modo in utendo (inquit Cicero) ratio, & in carendo patientia adhibenda sit. Benevolum mihi unumquemque fore confido, & quumque arbitrum, ut cum minime ferendam æmuli mei insolentiam, atque alienis armis, & viribus insultantem per scelus audaciam ostendero, justam fuisse stomachandi causam, nihilque lenius, aut blandius adversus eundem à me fieri debuisse fateatur.

Ergo Tractatum utriusque quasi in tabula conspicuum exhibeamus: teneat Campion alteram, alteram Waddingus teneat paginam, quidque ab hoc diversum ille contineat, res ipsa loquatur,

CAM.

C A M P I O N.

Quantam calamitatem induxerit universæ Italæ Romani Pontificis ex urbe recessus, & Sedis Apostolicæ in Galliam translatio, is solum ignorare potest, quem temporum superiorum ætas, & eorum miseranda vicissitudo fugit. Ad hæc studium partium contrariarum Guelphæ, & Gibellinæ gentis, quas ad perniciem Italæ humani generis hostis suscitasse videtur, manus iniquas admovit, ut Regna adversus Regna bellarent, Provinciæ hostiliter semet invicem depascerent, Civitates potentiores, vel levissima sumpta, vel efficta occasione vicas depopularentur, & quod miserabilius videbatur, in una, eademque Urbe intestina graffarentur bella, neque sanguini, aut virtuti parceretur. Ex Patrio itaque amore fixa in Gallia sede Clementis V. Joannis, & aliorum res Italæ susque deque agebantur, nihilque præter bellum, arma, prodiciones, neces, exterminia, & fidei scissiones audiebantur. Tanto ducimur gentis nostræ affectu, ut ubi ortum accepimus, dulciorem interitum expectemus: *Nimis dulcis nutravit eum.*

His igitur ingravescentibus malis, postquam Religio Minorum varios subivisset casus, centesimo, & decimo sui anno Christi

(*)

W ADDING U S.

Tom. 6. pag. 260. num. 1.

Romanis Pontificis ex Italia recessus, & Sedis Apostolicæ in Galliam translatio quantum calamitatem induxerit, vel hoc ipso tempore urbes, & Provinciæ universæ Italiam magnō suo probarunt malo. Regna adversus Regna bellabant, Provinciæ hostiliter semet invicem depascebant, Civitates potentiores vel levissima sumpta, vel efficta occasione vicinas depopulabantur, & quod miserabilius videbatur, in una, eademque urbe intestina graffarentur bella, nec sanguini, nec virtuti parcebatur, ita effervescente odio, & studio partium contrariarum Guelphæ, & Gibellinæ gentis, quas ad perniciem Italiam humani generis hostis ex orco suscitavit Ex Patrio itaque amore fixa in Gallia sede quantumvis Cardinali Ursino spem dederit Joannes eam reducendi in Urbem, res Italiam susque deque agebantur, nihilque præter bellum, arma, traditiones, necesse, exterminia audiebatur.

Tom. eod. pag. 261. num. eod.

Tanto ducimur gentis nostræ affectu, ut eam optimis licet nationibus præferamus, & ubi ortum accepimus, dulciorem interitum expectemus. *Nimis dulcis..... nutrivit eum.*

Tom. eod. pag. 279. num. 23.

Aliam sensit aliunde hoc tempore Religioni Minorum afflictionem, quod uti referunt in Diplomate Pontificio Joannis Papæ:

San-

C A M P I O N.

stii 1317. tempore Joannis XXII. Papæ, & Ludovici IV. Imperatoris aliam insuper sentit afflictionem, qua per Fraticellos maiorē in modum divexata fuit, hi ut refertur in Diplomate Pontificio Joannis: *Santa Romana*, fuerunt profanæ multitudinis viri, vulgariter Fraticelli, seu Fratres de paupere vita, & Bizoclii, sive Beguini, aliisque non minibus nuncupati, qui in Italia, Siciliæ Insula in Comitatibus Narbonensi, & Tholosano, aliisque Provinciis cis-marinis, & ultra montanis contra Canones Ecclesiasticos habitum novæ Religionis afflumperunt, congregations, & conventicula fecerunt, Superiores pro libitu elegerunt, quos Ministros, seu custodes, vel Quardianos, aliisque nominibus appellabant, plurimos proinde ad suam sectam recipientes, ac publice mendicantes loca construxerint, constructaque ab aliis sibi vendicarint, & quod injuriosius erat Minoritis confinxerint, palamque asseveraverint, se Fratum Minorum regulam profiteri, atque literam observare, licet sub obedientia Superiorum Ordinis Minorum non morarentur. Magis ergo ad suam sectam firmandam dolose prætenderunt, se a Sanctæ memoriæ Coelestino Papa V. hujusmodi vitæ privilegium accepisse, quod tamen etiam si ostenderent, eis minime suffragabatur, cum

Bonj.

W A D D I N G U S.

Sancta Romana multi profanæ multitudinis
viri vulgariter Fraticelli, seu Fratres de
paupere vita, & Bizoclii, sive Beguini, ali-
isque nominibus nuncupati in Italia, Siciliæ
Insula, in Comitatibus Narbonensi, & Tho-
losano, aliisque Provinciis, & partibus cis-
marinis, & ultra montanis contra Canones
Ecclesiasticos habitum novæ Religionis af-
sumperint, Congregationes, & Conventi-
cula fecerint, Superiores elegerint, quos
Ministros, seu Custodes, vel Quardianos,
aliisque nominibus appellabant, plurimos ad
suam lectam receperint, loca construxerint,
constructaque ab aliis suscepserint, publice
mendicaverint, & quod Minoritis injuri-
osius erat, confinxerint, & palam assevera-
verint: se Fratum Minorum regulam pro-
fiteri, atque ad literam observare, licet
sub obedientia Superiorum Ordinis Mino-
rum non morarentur, atque dolose præten-
derint, se à Sanctæ memoriae Cœlestino
Papa V. hujusmodi statum, seu vitæ pri-
vilegium accepisse, quod tamen etiamsi
ostenderent, eis minime suffragabatur, cum
Bonifacius VIII. omnia privilegia a Cœle-
stino concessa revocaverit. Horum vero
aliqui prædictum vivendi ritum, & habi-
tum à quibusdam Episcopis, seu eorum
Superioribus, vel aliis Ecclesiarum Præla-

C A M P I O N.

Bonifacius VIII. omnia privilegia à Cælestino concessa revocaverit. Horum vero aliqui prædictum vivendi ritum, & habitum à quibusdam Episcopis, seu eorum Superioribus, vel aliis Ecclesiarum Prælatis recepisse dicebant, quos tamen nec eis recipere, nec prædictis Episcopis, vel eorum Superioribus concedere licuit contra formam Concilii Generalis.

Ex his alii dicebant se tertium Ordinem poenitentium S. Francisci profiteri, volentes ita ritum, & statum suum sub velamine talis nominis palliare, cum tamen in regula ipsius tertii Ordinis ejusmodi vivendi ritus nullatenus fit concessus. Sed quia facile præcipites ruunt, qui cogitata propria Patrum definitiōnibus anteponunt; fertur plurimos eorum à recta Fidei Catholicæ veritate deviasse, Ecclesiastica Sacraenta despexisse, & quod plus est errores quosdam multifariam semināsse.

His malis, ut obviam iret Joannes Pontifex, ad anni 1317. finem 3. Kal. Jan. non obstantibus eorum excusationibus frivolis ritum, statum, modumque eorum vivendi condemnavit, & abolevit, possessiones irritas reddidit, & Episcopis interdixit, ne deinceps ullum ad hujusmodi statum reciperent, ut videre est in citata Bulla Sancta Romana.

Erra.

W ADDING U S.

tis se recepisse dicebant, quos nec eis recipere, nec prædictis Episcopis, vel eorum Superioribus concedere licuit contra formam Concilii Generalis.

Tom. eod. pag. ead. num. 24.

Ex his alii asserebant se esse de tertio ordine S. Francisci, poenitentium vocato, satagentes prædictum statum, & ritum eorum sub velamine talis nominis palliare, cum tamen in regula ipsius tertii Ordinis talis vivendi ritus nullatenus sit concessus. Sed quia in errorum barathrum facile ruunt, qui conceptus proprios Patrum definitionibus anteponunt; plurimi illorum dicebantur a veritate Catholicae Fidei deviantes Ecclesiastica Sacra menta despexisse, & studuisse errores alios multipliciter seminare.

Tom. eod. pag. 261. num. 2.

His ut mederetur malis Joannes Pontifex (rursus pagina ut supra) ad hujus anni finem 3. Kal. Jan. non obstantibus eorum excusationibus, quas frivolas reputavit, sectam, ritum, & statum illorum condemnavit, & annullavit, profesiones inter eas factas irritas reddidit, & Episcopis interdixit, ne deinceps ullum ad hujusmodi statum recipierent, uti habetur in extravag: *Santa Romana.*

C A M P I O N.

Erravit hic Abrahamus Bzovius in hujus decreti sensu , quem vel non percepit , vel minus æque ad suam mentem interpretatus est , qui illud propterea editum affirmat , quia inquit *plerique . . . collegerunt*. Hæc injuriose dicta sunt in Ordinem Minorum , ex quibus duo duntaxat , quod magis ad meum spectat institutum , & reliquarum injuriarum sunt fundamentum lectoris subjiciam judicio , candide demonstraturus : neque Franciscanos fuisse , quos Pontificium Diploma perstrinxit , neque Franciscanos Fraticellorum sectam uti Bzovius asserit collegisse.

Et ut primum expendamus , ex ipsius Pontificis sententia patet in Franciscanos minime prolatum fuisse Diploma , in quo totius judicij præmittitur fundamentum , nimirum : *Sacris . . . aprobatis*. Subjungit deinde narrationem , aitque : *nonnullos . . . attentasse*. Videat modo Bzovius , & alii cum eo Scriptores hæc Franciscanis aptari haud posse , utpote , qui neque *profanæ multitudinis viri censemebantur* , neque aliquando nominibus Fraticellorum , Bizochorum , aut Beguinorum audiebant , neque contra Sacros Canones novæ religionis habitum tunc temporis assumperunt , neque cætera , quæ in Bulla sequuntur , attentarunt , sed quorum vita , habitus , & institutum primum ab Innocentio III. mox

ab

W A D D I N G U S.

Tom. eod. pag. ead. num. 25.

Hujus decretalis sensum, vel non percepit Abrahamus Bzovius, vel minus æque ad suam mentem composuit. Propterea nemque editam affirmat: *quia inquit plerique . . . collegerant.* Multa hic injuriosè dicta in Ordinem Minorum, sunt... ego duo duntaxat, quæ magis ad meum spectant institutum, & reliquarum injuriarum sunt fundamentum lectoris subjiciam judicio, cui aperte demonstrabo, neque Franciscanos fuisse, quos Pontificium Diploma perstringit, neque Franciscanos Fraticellorum sectam, uti Bzovius asserit collegisse.

Tom eod. pag 280. n. 26.

Atque in Franciscanos minime prolatam hanc Pontificis sententiam abunde probat ipsum Diploma, in quo illud totius judicij præmittitur fundamentum, nimirum: *sacris . . . approbatis.* subsumit deinde narrationem, ait que: *nonnullos . . . attentasse.* Hæc in Franciscanos quadrare non possunt, qui neque profanæ multitudinis viri censebantur, neque aliquando.... nominibus Fraticellorum, Bizochorum, aut Beguinorum audiebant, neque contra sacros canones novæ religionis habitum tunc temporis assumpserunt, neque cætera, quæ in Diplomate subsequuntur, attenterunt, quorum vita, habitus, & insti-



C A M P I O N.

ab Honorio III. dein à subsequentibus Pontificibus, & maxime à Concilio Lugdunensi, cuius de hac re Canones recensentur in Corpore Juris, solemniter approbantur. Incusantur deinde Fraticelli temeritatis, & damnabilis præsumptionis, quod hæc facere non sint veriti: *quasi.....approbatis.* Nunquid hæc aliquis intorquebit adversus Franciscanos? Deinde eos redarguit simulatæ pietatis, & fictæ religionis; *dum plurimi eorum* inquit.....*revocatum.* Animadverat lector non observasse, sed confinxisse notat in hunc locum Glossa *sub.....subsisteret.* Subditque, quod *cum tales....reputandi.*

Hæccine sunt præconia, quæ sodalitio Minorum applicari debent, sane inducere in animum nequeo quemdam reperiri, qui Ordinem Minorum quidquam confictum, aut specietenus apparens, & sub obedientia Generalis, vel Provincialis Alumnos illius haud existere dicat. Porro, ut ad Pontificis Bullam regrediar, ibidem refertur quosdam ex his *prætendisse.....Concilii Generalis.*

Nihil autem horum omnium pertinere potest ad Minores, qui non ab aliis, quam à Minorum superioribus Regularibus habitum, aut vivendi normam leguntur accepisse. sed & ex illa, quam negat Episcopis, aut Ecclesiastum Prælatis potestate, amplius probatur
pro.

(*)

W A D D I N G U S.

tutum primum ab Innocentio III. mox ab Honorio III. deinde a subsequentibus Pontificibus, & maxime a Concilio Lugdunensi, cuius de hac re Canones recensentur, in corpore Juris solenniter approbantur. Deinde incusat hos Fratricellos temeritatis, & damnabilis præsumptionis, quod hæc facere ausi sint; *quasi.....approbatis.* At contra Franciscanos quis isthæc intorqueat? Deinde eos redarguit simulatæ pietatis, & fidÆ religionis; *dum plurimi eorum inquit.....revocatum.* Non vere hæc observâsse, sed confinxisse notat in hunc locum Glossa, *sub.....subsisteret.* Subditque, quod *cum tales reputandi.*

Tomo eod. pag. 291. num. 28.

Ulterius, ut ad Pontificis Bullam regrediamur, ibidem refertur, quosdam ex his *prætendisse.....Concilii Generalis.*

Nihil autem horum spectare potest ad Minores, qui non ab aliis, quam a Minorum Superioribus Regularibus habitum, aut vivendi normam leguntur accepisse. Sed & ex illa, quam negat Episcopis, aut Ecclesiarum Prælatis potestate, amplius probatur intentum: etenim ex his, quæ dicit nullas

C A M P I O N.

propositum: etenim ex his, quæ dicit, nullo pacto licere Episcopis, infert docte Franciscus Penna, non esse munus Episcoporum, aut aliorum Prælatorum Romano Pontifice inferiorum novas inducere Religiones, aut novis inductis auctoritatem dare, easve confirmare; id enim solius est Papæ. At Religio Minorum jam ab annis 100. & amplius fundata, & à Sede Apostolica confirmata, nova censeri non potuit, neque etiam in iis, quos Bzovius judicavit censoria hac virga percelli, videlicet Fratres illos, qui strictiorem affectabant licet sine delectu, & judicio observantiam. Neque in Discipulis Fratris liberati ut quidam putat *nova religionis* potuit nomen sortiri, etenim neque regula, neque fundamentali instituto, neque essentiali habitu à corpore religionis discrepabant, sed peculiaribus solum quibusdam majoris paupertatis observationibus, & strictiori, vel rudiori habitu, nec non minoribus capuciis. At hæc ordinem non instituunt, neque ut à vetusta distinguatur nova sufficiunt, neque discrimen constituunt esse entiale. Patulum, & ante oculos habemus exemplum in Recollectorum, Discalceatorum, & Reformatorum Provinciis tam per Italiam, quam per Hispaniam, Galliam, Germaniam, & Hungariam, in quibus maxime in Hungaria tam arctas ge-

stant

W ADDING U.S.

tenus licere Episcopis, infert docte Franciscus Penna, non esse munus Episcoporum, aut aliorum Prælatorum Romano Pontifice inferiorum, nova: inducere Religiones, aut novis inductis auctoritatem dare, easve confirmare; hoc enim solum ad Papam spectat. At Religio Minorum jam ab annis 100. & pluribus fundata, & à Sede Apostolica confirmata, nova censeri non potuit, neque etiam in iis, quos Bzovius judicavit censoria hac virga percelli, videlicet Fratres illos, qui strictiorem affectabant, licet indiscrete observantiam; neque in Discipulis Fratris liberati *novæ religionis* potuit nomen fortiri; etenim neque regula, neque fundamentali instituto, neque essentiali habitu à corpore religionis discrepabant, sed peculiari bus quibusdam majoris paupertatis observantiis, & strictiori, vel rudiori habitu, & minoribus caputiis. At hæc novum ordinem non instituunt, neque ut à vetusta distinguatur nova sufficiunt, neque discrimen constituunt esse entiale. Patulum, & præ oculis habemus exemplum in multis strictioris observantiae Provinciis, tam per Italiam, quam per Hispaniam, Galliam, & Germaniam, in quibus maxime in Lusitania adeo strictos, arctos, & asperos gestant Fratres habitus, atque adeo parva caputia,

C A M P I O N.

stant Fratres manicas, ut vi quadam inter imponendum, & extrahendum mucinum intorqueri debeat, neque manus alteri intra manicas conjungi possit, & in Lusitania adeo strictos, & asperos habitus, atque adeo parva caputia, ut si vel minimum quid demas, jam desinant esse caputia, & potius vestigia, vel similitudines aliquas caputiorum, quam caputia ipsa esse affirmaveris, nemo tamen aliquando eos novæ, vel distinctæ à cæteris observantibus religionis fore asseverabit, aut Fraticellos appellabit, siquidem sub eodem capite, & sub iisdem Superioribus regulam prositeantur.

Aliud adhuc effugium quærentes, & sui status approbationem molientes astruebant h̄i Fraticelli, seu Beguini, nempe: *quibusdam.... palliare.* Sed hanc eorum excusationem ipfe Pontifex refellit, afferens regulam tertii ordinis longe ab eorum ritu, & modo vivendi discrepare, neque illum in ista contineri. Et clarius A. III. sui Pontificatus datis literis ad universos Ecclesiarum Prælatos commendat Fratres, & sorores tertii ordinis, quos nequaquam condemnatos sub nomine Beguinorum, aut Bizochorū declarat, & aperte insuper afferit, Beguinorum nullam professos esse regulam approbatā.

Cum ergo & ipsi inter se diffenserint, variosque modos evadendi excogitaverint, quam-

W A D D I N G U S.

nt si quid demas, jam ceffent esse caputia,
 & potius vestigia, vel similitudines aliquas
 caputiorum, quam caputia ipsa esse affirma-
 veris..... nullus tamen aliquando eos novæ,
 vel distinctæ a cæteris obſervantibus, du-
 xit esse religionis, ſed ſub eodem capite,
 & ſub iisdem Superioribus vivunt rigorof-
 iſſime.

Tom. eod. pag. 232. num. 29.

Aliam adhuc excogitantes evasionem
 & ſui status approbationem, aſtruebant
 hi Fratricelli, ſeu Beguini, quibusdam....
 palliare. At frivolam hanc eorundem excuſa-
 tionem Pontifex ipfe refellit, afferens regu-
 lam tertii ordinis longe ab eorundem ritu,
 & modo vivendi diſcrepare, neque illum in
 iſta contineri. Et clarius A. III. Poatifi-
 catus datis Litteris ad universos Ecclesia-
 rum Prælatos, commendat Fratres, & foro-
 res tertii ordinis, quos nullatenus condem-
 natos ſub nomine Beguinorum, aut Bizo-
 chorūm declarat, aperteque afferit, Begui-
 nos nullam professos eſſe regulam appro-
 batam.

Tom. eod. pag. ead. num. 30.

Cum itaque neque ipſi inter ſe conve-
 nerint.... variosque modos evadendi exco-

C A M P I O N.

quamvis se dixerint Franciscanos, vel S. Francisci nomen imploraverint, ut ita judicium declinarent Pontificis, quis facile credat, nisi qui Franciscano invideat, honori, eumque his maculis vult inustum, ac non potius fraudem, manifestamque existimet fallaciam? certe credendum est Pontifici magis, qui ad honorificum isthoc, quod prætendebant nomen, aditus omnes eis præclusit, & à Franciscano grege lupos ovina pelle se contegentes longius judicavit arcendos. Ejus proinde sequenda est fides, cui illorum Vita, & mores innotuere, quos etiam non nisi prævio examine, & excusationibus auditis, quas frivolas appellavit, judicavit condemnados.

Immerito igitur ex ipsa mente Pontificis traducuntur Franciscani, cujus verba, & argumenta adeo sunt manifesta, ut ulteriori res tota haud indigeat probatione. Ut tamen amplius pateat, qui fuerunt hi Fratricelli, & Beguini à Pontifice hic condemnati, eorum mores, & vitam uberioris expnam Lectori ex gravi illius temporis Scriptore ipsius Joannis Pontificis Pœnitentiario Alvaro Pelagio. Ita enim hos factos adumbrat Religiosos, ut in omnibus ferme conveniat cum Pontificio Diplomate. Audi quæso, quam egregie verum vero consonet,

istis

W A D D I N G U S.

gitaverint, quantumvis se dixerint Franciscanos, vel S. Francisci super se nomen invocaverint, ut judicium declinarent Pontificis, quis eis facile credat, nisi qui Franciscano invideat Honori, eumque his maculis velit inustum, & non potius Fraudem, manifestamque non illico subodoret imposturam? certe credendum est potius Pontifici, qui ad honorificum hoc, quod prætendebant nomen, aditus omnes eis præclusit, & à franciscano grege lupos ovina pelle se contegentes, longius judicavit arcendos. Ejus se quenda est fides, cui illorum innotescebant mores, & vita, quos etiam nonnisi prævio examine, & auditis eorum excusationibus, quas frivolas dixit, judicavit condemnandos.

Tom. eod. pag. 233. num. 31.

Clarissime ex ipso diplomate non nos, sed Joannes ipsius conditor, & auctor insinuat, in juste hic traduci Franciscanos, cuius verba, & argumenta adeo sunt manifesta, ut ulteriori res ista hand indigeat probatione. Attamen, ut amplius pateat, qui fuerint hi Fraticelli, & Beguni a Pontifice hic condemnati, eorum mores, & vitam amplius hic exhibeo Lectori, ex gravi illius temporis scriptore ipsius Joannis Pontificis Poenitentiario Alvaro Pelagio. Ita porro hos factos describit Religiosos, ut in omnibus ferme conveniat cum Pontificio Diplomate

C A M P I O N.

istis inquit.... Minorum. Inferius qua temeritate sacris ministeriis se ingerebant, ita re-
censet: *isti..... præsbyteri sunt &c. Deinde* qualitatem vilissimæ gentis ita describit: *qui-*
dam..... transferunt &c.

Hucusque Alvarus illius temporis gra-
vis author, & Joannis Papæ Poenitentiarius
statum, qualitatem, & temeritatem horum
Secretariorum, quorum nihil non longe di-
stat a Fratribus Minoribus, vivis coloribus
descripsit, qui dum eodem sermonis tenore
hos pseudo apostolos perstringit, demum
ait: a Joanne condemnatos esse. Horum
aliquos longe ante Alvarum vidit B. Leo S.
Francisci Confessarius, & socius, totoque
tremens corpore ad Fratres loquitur: *cave-*
te..... ministris. Hic in aliqua excurrere pos-
sem, nisi veritas odium pareret, sed cum
mundus novitatibus delectetur, mirandum
non est, si vetusta vilescant.

Alium addo authorem illius saeculi Con-
radum de monte Puellarum Canonicum Ra-
tisbonensem, qui in fragmentis de errori-
bus Begardorum, & Beguinarum quæ cir-
cumferuntur inter authores 13. saeculi in Bi-
bliotheca veterum Patrum postremæ editio-
nis Coloniensis, ita narrat: *licet..... doctri-*
nas. Quam bene hæc consonant iis, quæ
ex

W A D D I N G U S.

te.... audi.. quam egregie verum vero con-
lonet , istis inquit.... *Minorum*.....

Tom. eod. pag. 285. num. 35.

Inferius qua temeritate sacrī ministriis se ingerebant , ita recenset : *isti* *presbyteri sunt &c.*

Tom. eod. pag. ead. num. 36.

Deinde qualitatem vilissimæ gentis ita
describit: *quidam*..... *transierunt &c.*

Tom. eod. pag. 286. num. 37.

Hucusque Alvarus illius temporis gra-
vis author , & Joannis Pontificis Pœnitentiarius..... eodem sermonis tenore per-
stringit pseudo - apostolos , Fraticellos , Fra-
tres de paupere vita &c. & eadem constitu-
tione ait à Joanne condemnatos. Horum
aliquos longe ante Alvarum vidi B. Leo
S. Francisci Confessarius , & socius , & to-
to tremens corpore inquit ad Fratres : *cave-*
te..... *ministris.*

Tom. eod. pag. 287. num. 39.

Alium addo authorem aliquanto poste-
riorem , hujus tamen sæculi ,.... ille est Con-
radus de monte Puellarum Canonicus Ra-
tisbonensis , qui in fragmento de erroribus
Begardorum , & Beguinarum , quod circum-
fertur inter authores 13. sæculi in Biblio-
theca veterum Patrum postremæ editionis
Coloniensis , ita narrat: *licet*..... *doctrinas.*

Quam

C A M P I O N.

ex Alvaro retulimus, & Pontificis narratio-
ni dicentis: fuisse profanæ multitudinis viros,
quos author hic ait fuisse plerumque rustic-
nos, & mechanicos.

Adjungo adhuc tertium Matthæum Pa-
ris his priorem testem, ut in ore duorum,
vel trium hoc veritatis verbum persistat.
eisdem inquit..... *invenirentur*. Utī Ponti-
fex asserit, etiam author narrat habitum
religionis suscepisse, sub nullius tamen San-
cti regula vixisse. Plures in hanc apertissi-
mam sententiam conspirantes authores huc
possent convocari, sed ne nimium paria-
mus tedium Lectori, adducti illius tempo-
ris viri graves, & sinceri scriptores satis,
superque sufficere videntur. Solum hic ad-
monebo, etiam S. Bernardi temporibus vel
hos, vel his simillimos pullulasse, quos
egregie describit, & acriter condemnat.

Supereft, ut alteram deleam ignomini-
am longe maximam, cum non sine magna
nominis nostri injuria Bzovius cum quibus-
dam dicat strictiores hos Minoritas multis
fodalibus in errorem seductis collegisse se-
ctam Fraticellorum.

Unicus Bzovius sufficeret contra Bzo-
vium, ut qui horum nebulonum originem
aliis sui similibus tribuit, sub Honorio IV.
refert Gerardum Segarellum, & Dulcinum
Nova.

(*)

W A D D I N G U S.

Quam bene hæc consonant iis, quæ ex Alvaro retulimus, ... & Pontificis narrationi dicentis: fuisse profanæ multitudinis viros, quos author hic ait fuisse *rusticanos*, & *mechanicos*

Tom. eod. pag. ead. num. 40.

Adjungo adhuc tertium Matthæum Paris his priorem testem, ut in ore duorum, seu trium hoc veritatis verbum perfistat. *Eisdem* inquit.... *invenirentur*. Utī Pontifex asserit, hic etiam auctor narrat habitum religionis suscepisse, sub nullius tamen Sancti regula vixisse. Plures in hanc apertissimam sententiam conspirantes authores huc possent convocari attamen adducti illius temporis viri graves, & sinceri scriptores satis, superque sufficere videntur, ne nimum pariamus tedium Lectori. Solum hic admonebimus etiam sub S. Bernardi temporibus vel hos, vel his simillimos pullulasse, quos egregie describit, & acriter condemnat.

Tom. eod. pag. ead. num. 41.

Superegist, ut aliud excutiamtis opprobrium, primo majus, quo non sine magna nostri nominis injuria Bzovius dixit strictiores hos Minoritas multis sodalibus in errorem seductis collegisse sectam Fraticellorum.

Ipse mihi sufficeret in hac re Bzovius contra Bzovium, qui horum nebulonum in alios sui similes referat originem, sub Honorio

C A M P I O N.

Novariensem multas Italæ civitates falsis
dogmatibus infecisse, & sectam instituisse
pseudo-apostolorum Fratricellis simillimam.
Sub Bonifacio VIII. Fratricellorum Funda-
torem nominat Hermannum Italum, & Pro-
pagatores Guillelmum Mediolanensem cum
fuo concubinario Andrea Semarita. Sub
Bonifacio VIII. ipsius Sabellici verbis re-
fert obortam hanc sectam, & à Græcis in
Italiam hoc malum advectum brevi tempo-
re universam fere Æmiliam, & Liguriam
occupasse. Non omnia, quæ his locis dicit
probaverim, illud mihi fatis est ex senten-
tia ipsius Bzovii: alios habuisse Fratricel-
los, & Beguardos authores, atque collecto-
res, suique oblitum indigne imputasse Mi-
noritis spurcissimam istam progeniem. Qui
de hac secta sub ista appellatione scribunt
partum infamem fuisse unanimiter dicunt Her-
manni, Pongilupi Ferariensis. Ita præter
alios Bzovius ipse non uno in loco proxime
citatus, Gabriel Prateolus, Jacobus Phi-
lippus Bergomas, Angelus de Paz, Cardi-
nalis Bellarminus, Bernardus à Lutzembur-
go, Nicolaus Sanderus, Albertus Crautzi-
us, Jacobus Gualterus, Franciscus Penna,
Antonius Maria Spelta, Severinus Binus,
& supra cæteros clarius, & latius Joannes
Baptista Pigna in Historia Ferrariæ, ex qua
Her.

W A D D I N G U S.

norio IV. refert Gerardum Segarellum, & Dulcinum Novariensem, multas Italiae civitates falsis dogmatibus infecisse, breve sectam instituisse pseudo-apostolorum Fraticellis per omnia similem ... Sub Bonifacio VIII. Fraticellorum fundatorem nuncupat, Hermannum Italum ibique adjicit hujus sectae propagatores Guillelmum Mediolanensem cum suo concubinario Andrea Semirata..... Sub Bonifacio VIII. ipsis Sabellici verbis refert obortam hanc sectam, & à Græcis in Italiam hoc malum advectum brevi tempore fere universam Æmiliam, & Liguriam occupasse Non omnia, quæ his locis dicit, probaverim illud mihi sufficit ex sententia ipsius Bzovii alios habuisse Fraticellos, & Begardos auctores, atque collectores, suique oblitum indigne tribuisse Minoritis spurcissimam istam progeniem

Tom. eod. pag. 288. num. 42.

Qui de hac secta sub ista appellatione scribunt, partum infamem fuisse unanimiter scribunt Hermanni, Pongilupi Ferariensis. Ita præter alios Bzovius ipse, non uno in loco proxime citatus, Gabriel Prateolus, Jacobus Philippus, Bergomas, Angelus de Paz, Cardinalis Bellarminus, Bernardus à Lutzemburgo, Nicolaus Sanderus, Albertus Crautzius, Jacobus Gualterus, Franciscus

C A M P I O N.

Hermannus oriundus, ubi ei indictum cultum exstructas aras, appensas tabellas, expositas ejus imagines, in Ecclesia Cathedrali, atque in aliis templis enarrat, & sub anno trecentesimo supra millesimum exhumatum corpus, & combustum, condemnataque, & abolitam ejus memoriam, ita jubente Pontifice, & favente Azzone Principe Estensi.

Progenies autem ista viperarum dum sub sanctitatis velamine, & religioso habitu suas hæreses occultare studuit, novæ religionis sibi habitum affinxit, quem ita Marianus noster ex vetustis chronicis describit: *induebant inquit.... deferebant.* Utrum autem aliqui fuerint, qui cum nomine Minorum habitum quoque illorum assumebant, ut sub simulacro pietatis incautos facilius deciperent, non ita facile ex ipsa Bulla licet colligere, dum nihil de hac re agat Pontifex, quin potius contrarium afferat dicens: eos novæ religionis habitum induisse. Quod si aliqui etiam habitum eorundem sint ementiti, non illi primi sub hoc sanctitatis velamento popularem auram captabant, sub Gregorio IX. homines tum in religionibus, tum extra easdem Minorum vestem usurpasse, & mulieres habitum Clarissarum, & contra ejusmodi alopicos graculos editas constitutiones ejusdem Pontificis producuntur....

Nihil

W A D D I N G U S.

Iscus Penna, Antonius Maria Spelta, Severinus Binius, & ultra omnes clarius, & latius Joannes Baptista Pigna in historia Ferrariae, ex qua Hermannus oriundus, ubi ei indictum cultum exstructas aras, appensas tabellas, expositas ejus imagines, in Ecclesia Cathedrali, atque in aliis templis enarrat, & sub anno trecentesimo supra millesimum exhumatum corpus, & combustum, condemnataque, & abolitam ejus memoriam, ita jubente Pontifice, & favente Azzone Principe Estensi.....

Tom. eod. pag. 289. num. 43.

Progenies autem ista viperarum, dum sub sanctitatis velamine, & religioso habitu suas hæreses occultare præsumpsit, novæ religionis sibi habitum effinxit, quem ita Marianus noster ex vetustis chronicis describit: *induebant inquit..... deferebant.* fuisse autem aliquos, qui cum nomine Minorum habitum etiam assuebant, ut sub simulacro pietatis... incautos facilius deciperent non ita facile ex ipsa Bulla licet colligere, dum nihil de hac re agat Pontifex, imo potius contrarium afferat dicens: eos novæ religionis habitum induisse... Quod si aliqui etiam habitum eorundem fint ementiti, non illi primi sub hoc sanctitatis velamento popularem auram captabant... Sub Gregorio IX. homines tum in religionibus, tum extra easdem Minorum vestem usurpasse, & mulieres habitu

C A M P I O N.

Nihil enim magis familiare, quam sub
hujusmodi speciosa exteriori veste pietatis
mendacium, atque etiamnum sub oculis o-
mnium passim sub velamento franciscano ta-
les divagantur nebulones, & libere (quod
dolens referto) graffatur hypocrisy ad mul-
torum deceptionem, ordinisque scandalum,
& contumeliam.

Videat ergo eruditus Lector, qua fide
nobiscum agat Bzovius, & illius sequaces,
qui nostro adscribat sodalitio simulatam hanc
gentem, & à nobis ortam, vel collectam
afferat sectam Fraticellorum. Verum enim
vero non à nobis collecta, sed dissipata, non
inter nostros orta, sed per nostros extincta
fuit, neque enim variis temporibus per va-
rios inquisidores ordinis eos persequi desti-
terunt, donec tandem obtinuerunt. Beatus
Joannes à Capistrano, & Beatus Jacobus à
Marchia Minoritæ regularis observantiæ In-
quisidores ultimas eorundem reliquias deleve-
runt. Ipse Joannes Extravagantis author plu-
res ex hoc ordine constituit inquisidores, qui
contra eos diligenter egerunt; comprehen-
sique secundum Juris apices punierunt, ita-
ut anno 1318. centum, & quatuordecim ul-
tricibus flammis traditi fuerint, quibus tunc
factum, ut ne adeo libere hæc scandala in
animarum damna succrescerent.

WAD.

(*)

W A D D I N G U S.

Clarissarum, & contra hujusmodi æfopicos
graculos editas constitutiones ejusdem Pon-
tificis - produximus

Nihil enim magis familiare, quam sub hu-
jusmodi speciosa exteriori veste pietatis men-
daciūm, atque etiamnum sub oculis omnium
ubique, sub velamento franciscano tales diva-
gantur nebulones, & libere (quod dolens refe-
ro) grassatur hypocrisis ad multorum decepti-
onem, ordinisque scandalum, & contumeliam.

Tom. eod. pag. ead. num. 44.

Videat ergo Lector, quam æque nobiscum
agat Bzovius, qui nostro adscribat sodalitio,
præclarā hanc gentē, & à nobis ortā, vel collec-
tam scribat sectam Fraticellorum. Porro non
à nobis collecta, sed dissipata; non inter nostros
orta, sed per nostros extincta, neque enim vari-
is temporibus per varios inquisidores ordinis
eos persequi destiterunt, donec tandem obtinu-
erunt. B. Joannes à Capistrano, & B. Jacobus à
Marchia Minoritæ Apostolici Inquisidores ulti-
mas eorundem reliquias deleverunt. Sed & Jo-
annes ipse hujus Extravagantis auctor plures
constituit ex hoc ordine inquisidores, qui con-
tra eos . . . diligenter egerunt; comprehenso-
que secundum Juris apices puniverunt, & anno
in sequenti centum, & quatuordecim ultricibus
flammis tradiderunt, per quæ tunc factum est,
ne adeo libere hæc scandala in animarum da-
mma uccrescerent.

Dimidium jam Opellæ attigimus quasi
authoris: progreditur is deinceps ad vitæ
seriem Petri Joannis Olivi, atque Macera-
tensis longa narratione, si superis placet
percensendam; verum pigeat pede, quo cæ-
pit gradientem ultra consectari; fatetur enim
ipse operis supremi pag. 106. linea 1. se vi-
tam Olivi ex Waddingo potissimum in suas vindi-
cias transtulisse; dixisset vero similius ad api-
cem exscribillasse: quod ne iterum proban-
do longius persequi debeam, itaque Lecto-
ri tedium, mihi vero ipsi dispendium fa-
cessam, en indicem subjicio Tomi, paginæ,
ac numerorum accuratissimum, cuius ductu, si-
qui fortasse curiositate provocati cæteram
etiam Opellæ hujus partem ad bilancem cum
Waddingo postulaverint, facile, quod re-
quisiverint, deprehendere possint. Itaque
ab ortu Joannis Olivi residuum famosi istius
Libelli dabit ex ordine Waddingus Tomo
5. pag. 52. num. 29. Item: pag. 108. num.
2. ac 121. num. 1. rursus: 110. num. 5. &
236. num. 11. 298. num. 13. 378. num. 31.
379. num. 34. 380. num. 35. 378. num. 33.
382. num. 38. Dein Tom. eod. pag. 390.
num. 48. 389. num. 47. 391. num. 50. 324.
num. 9. 338. num. 14. &c. &c.

Unicum inter hactenus recitata offen-
do ex Campionis cerebro enatum, verbis-
que Waddingi perperam adsutum; idque prin-
cipio paginæ 49. cum ait: ad sectam Fra-
tri-

tricellorum plures ex diversis Religionibus, & UTROQUE CLERO evolasse. Vah projectam, insolentemque audaciam! quis tibi tantille homule suggessit Franciscanum hunc pedorem ad nos usque derivare, & notam adeo vilem clero sæculari inustam velle? utrumne aliquis Historicorum id refert, an ex temetipso hoc dicis? certe apud Waddingum, in cuius verba alias jurasse visus es utriusque Cleri nec vola est, nec vestigium: ut nisi petita aliunde authoritate propositionem hanc sustinueris, omnes audaciæ terminos te excessisse vel ex ea luculentum esse debeat. Neque est profecto rationi consentaneum eam viros Ecclesiasticos pauperiem ambivisse, de qua exortum subinde contentionis dissidium Fratricellis initium fecit; cum præser-tim latere eos nequiverit Servatoris nostri edictum, quo beatos illos communiter proununtiat, qui spiritu pauperes, quales fieri omnes exoptamus, sunt; nisi tu forte fortuna detexeris aliquos, qui sub vili pallio videri voluerint quasi nihil habentes, esse autem *omnia possidentes*. Verum quia nihil singulare ultra tibi occurrit, jam cesso; contumeliamque hujusmodi infra dignitatem Status Ecclesiastici positam contemno: de Libello ipso nunc tecum potiori jure agendum erit.

Amabo: dicetne aliquis Opellam hanc Waddingo expilatam, te, si sapuisti, si com-

pos tui fuisti , condidisse? Hæc cine est non dicam Magistri , ac Theologi , sed sobrii , & vel modicum verecundi hominis disceptatio , qua cœco impetu in Damianum ruisti ? & quo successu ? nempe : quod præclari ordinis tui decorem , censorumque tuorum famam author nec primum , nec habere sequentem visus non mediocriter labefactaris . Ecquis enim non existimet eos , qui calculo suo opusculum hoc tibi per nefas adscriptum probarunt , & encomio ornarunt , Annales suos , & Waddingi opera ne à limine salutasse ? Ergo hoc tandem molimen illud est , quod tu authore Horatio diu , multumque versasti : *Quid tui ferre recusent , quid valeant bumeri ? Imbecillis , fragilisque homo !*

At tu fortasse causa nondum excidisti , spemque omnem ad facti excusationem convertis ? Euge Vir magnifice , si excusare potes : consilia ego ubertim mox suppeditabo , ut qua ratione id præstiteris , eadem ad eruditio nis apicem non sine perpetua nominis tui apud posteros memoria ascendas . Quod si enim voculas aliis alias substituere , synonimasque multiplicare , passivam activè constructionem reddere : posteriora aliquando verso ordine præponere : copiam rerum præteritione negligere (hæc facies vindiciarum tuarum fuit) viri eruditii , & authoris officio satis est , idque apud doctos honestari potest ; age obsecro : vasta Bellarmini alio-

rum ,

rumque in controversiis fidei nominatissimo-
rum volumina tua facito , tibique adscisce.
Quæcunque fusiora in iis , atque prolixiora
deprehenderis , mitte in pace: ordinem in-
stitue præposterum : sicubi vocabulum tibi
occurrerit in terminis diversum , commuta:
pecus dicio brutum : aquam nomina lym-
pham : domum ædes appella: &c. tandem
ita inscribe: FR. HYACINTHI CAMPION à BU-
DA INSTITUTI SERAPHICI , REGULARIS OB-
SERVANTIAE PRESBYTERI VINDICÆ PRO RE-
LIGIONE CATHOLICA PETITÆ ADVERSUS QUOS-
DAM HÆRETICOS NOVISSIME LUTHERUM , &
CALVINUM &c. Hoc pacto viros clarissi-
mos , ipsosque Ecclesiæ Patres librorum
multitudine opprimes , & tua eruditione in-
tra tempus paucum superabis. Id unum
anonymi adversus sycophantas Invavienses
scriptoris monito diligenter cave: ne doctri-
næ hujusmodi tuæ , atque eruditioñis mo-
numenta fines Perediæ , Sorbesiæ , Perbibe-
siæ , Centauromachiæ , Conterebromiæ , &
Gurgustidonios vel unguem latum præter-
grediantur. Intra hos limites , & ansatus
incedere , & doctus audire potes: at si inau-
spicato pervenerint alio , mittentur illoco in vicum
vendentem thus , & odores.

Verum amplius jocari non libet. Affer
huc obsecro rabsodes mi fabellam tuam ,
quam in opella novissima dignam (scilicet)
coronide protrusisti , inquiens : asinus in pelle

leonis non capit feras, & tibi ipsi hoc modo
adfabulare: quemadmodum asinus pellem le-
onis indutus feras non capit, ita Campion
vindiciis coniectus Waddingi Transylvanum
non terret. Depilavi enim te ex asse, ne
in posterum aliena crepando ipse *æs sonans*,
& *cymbalum tinniens* aliis molestus es: quod
cum jam executus sis, non tamen ad tribu-
nal vindictæ causa te voco, nec abs te ali-
ud peto (vide quam benigne tecum agam)
nisi ut sapias. Hæc si transactio placet, &
conditionem accipis, en omnia obliviscor,
& in gratiam tecum redeo. Sin obduratus
acquiescere detrectas, profecto aut tibi ipsi
ignotus es, aut neminem præter te alium
nosti. Dubia, ut provideo hinc, & inde
est resolutio, ego vero discretioni tuæ tam
parum confido, ut subverear potius, ne in
furiam actus omaëm denuo lapidem motita-
re pergas, quo virus in me tuum evomere
possis. Prævertendum est igitur malum pessi-
mum, & ut contentioni finis tandem statua-
tur, procurandum.

Per opportunum ipsus tu Hyacinthe cha-
re mihi remedium ad hanc rem consequen-
dam in novissimo opere tuo nunciasti; ex
quo nimirum incredibilem in hoc disciplinæ
genere imperitiam tuam paucis si advertas
ego docere, tu cognoscere possimus. Ag-
grediar: futurum id enim tibi gratissimum
auguror, qui in tuis infirmitatibus, uti pag.

123. cum Apostolo protestatus es, libentissime gloriaris. Sit igitur

§. I.

*An quos Bulla Sancta Romana perstringit,
fuerint Franciscani?*

Videris tibi in ipso Apologiae limine lin-
ceis plane oculis propositionem depre-
hendisse, ex qua uno ducto argumento sub-
dis illico: *causam verbo meo ex integro finitam
esse.* Superi meliora! Quæ illa tam fatua quæ-
so, atque incauta mihi oratio excidit, qua
cuncti simul conatus mei levis ad instar paleæ
exsufflentur? §. I. inquis: ego affirmavi *sin-
gulas hæreses Fratricellorum eodem pietatis lenocinio
contexisse malitiam suam, Franciscanamque Religio-
nem mentitas esse.* Bene habes: hæc mea est,
non quidem ut recitas absoluta, & simplex,
sed disjunctiva oratio. Quid tum? ergo
subinfers: *Si me confidente Fratricelli Franciscanam
Religionem mentiti sunt, illi reapse Francisci-
cani non extiterunt.* Parturiunt montes, pro-
dibit ridiculus mus. Audi! quid si præclaro
Achille isto utamur pro vindicanda Religio-
ne Catholica, contendamusque è nostratis
neminem sectæ alicujus authorem fuisse? tum
enimvero sua ingenio tuo laus, suus argu-
mento plausus constabit. Juvat periclitari:
quicunque germanum se Christi fidelem, &
Catholicum mentitur, reapse Christi fidelis,
atque

atque Catholicus non est; atqui Lutherus, & Calvinus se se germanos Christi fideles, & Catholicos mentiti sunt, ergo Lutherus, & Calvinus reapse Christi fideles, & Catholici non fuerunt: sic de aliis. Potesne aquam similiorem aquæ ex eodem puteo haurire, quam hoc ratiocinium coincidat cum tuo? certe si tu nullum effugio mihi locum relinquis, si vacuam objectionem quamquam autumas, mihi pari necessitate assentiaris, oportet; quod si non abnuis, næ omnium eris fabula: nam quis est, qui ambigat Calvinum, & Lutherum olim revera fuisse in coetu Orthodoxorum, ac dein à Religione Catholica per apostasiam defecisse, Christique fidelium numero in hæresim excidisse? ut ne igitur satis te respondisse, & Fratricellorum hæresim à calunnia (ita ipse balbutivisti) Franciscanis impensis vindicavisse putas, ita jam accipias velim: Fratricellos, vel eorum potius authores, posteaquam excusso Sacræ Religionis jugo, contemptaque Ecclesiæ authoritate se ab utraque segregassent, reapse non amplius fuisse Franciscanos; sed pro talibus duntaxat, ut incautos sub pietatis larva deciperent se venditasse; ortum nihilominus suum è Minorum sodalitio recta derivasse; ut adeo cum D. Apostolo Joanne accommodatissime te explicare possis dicendo: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permanessent utique nobiscum.* En nullo negotio dis-

dissipatum irrefragabile argumentum! in quo conformando eam præcipue dialecticæ legem implesti, quod sequitur partem conclusio debiliorem.

Fraetus in primo congressu adversarius ad Bullam Joannis XXII. se recipit, atque ut ampliorem evadendi campum inveniat, me sibi imminentem admiratione interjecta moratur. Quid tamen hæreat? videamus: causam nimirum mente assequi non potest, quamobrem geminas Fraticellorum classes tamquam ad rem impertinentes tacitus præterierim, cum prima nihilo feciſs, quam reliquæ mentita sit Franciscanam Religionem? *Magnum Jovis incrementum?* Cur tui nec te miseret, neque pudet Hyacinthe labilis adeo esse memoriæ, ut quæcunque antea legisti, recordatione tibi excidant? utique enarrat Pontifex hos posterioris generis Fraticellos neque à Franciscanis ortum duxisse, neque fuisse Franciscanos, dum ait: alios eorum accepisse habitum, & vivendi rationem ab Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis; alios vero tertium dumtaxat pœnitentium D. Francisci Ordinem professos esse; superabat proinde illorum tantum agitare causam, qui se genuinos Beati Francisci alumnos, ac Privilegio cœlestini communitos asserebant; hi inquam soli vocandi erant ad quæſtionem, ne longius à proposito *an quos Diploma Pontificium perstringit Franciscani fuerint?*) divagremur.

Legi itaque prius, quam Augustini verbis me exorares diligenter, contra quod scripsi; atque, ut fidem abs te hujus elicerem, libellum integrum unde nam tibi asserueris, vel invitus palam feci. Verum tu interea resummis animum, & confectum tumultuario labore ex Bullæ verbis aduersum te argumentum alacriter invadis: certum præprioris affirmas damnatos isthic Cœlestini privilegium prætendentes fuisse ab iis, quos recensuisti Fratribus omnino diversos: at qui tandem illi fuerint, quosque habuerint autores, respondes nihil: *hoc opus, hic labor est.* In hoc enimvero alter ab altero potissimum dissidemus, quod ego Fratres illos, qui missione à Cœlestino expugnata in solitudinem Græciæ concesserant, hic damnationem subivisse, & ratione probatum, & auctoritate magni nominis scriptorum constabili dederim; tu vero qui nam constitutione hac profligati fuerint, quisque eorum hæresiarcha haberit debeat, modo temporis rationem attendas, ne conjectura quidem hallucinari possis. Iniquus sim, si unum nominaveris.

Ipse hæc non dubito præsensisti; quare desperata Responsonie rem indecisam prætervectus ex meis verbis occasionem extundendi captas, simulatores istos nunquam revera privilegio donatos fuisse ~ quod confessus sim pag. opellæ meæ 8. eos concessio-

nem

nem istam temere, & falso prætendisse. Res mira! dic ubi, aut quando? meamet verba repetenda esse video, ut Lectori benevolo ostendam fuisse mihi quemadmodum alias dixi cum inermi hoste certandum. Sic porro me a habet Apologia: ego sane concessum à Cœlestino alteri id genus privilegium nuspiam deprehendo; temere autem, & falso Fraticellos eam prætendisse concessionem, cum potissimum eorum causa in sacris tribunalibus, & coram Pontifice, quem prætensionis veritas non latebat agitaretur, in animum in lu cere non possum. Prolixa nimium hæc tibi mi Champion oratio fuit, non mirum illius te sensum assequi non potuisse. Proh pudor! nunquam speravi fore ut hominem Theologum ad subsellia Grammatices, & Latini sermonis rudimenta revocare debeam.

Ventum verbero: ad rem proprius Champion accedit, aitque: Pontificem commissum haud fuisse, ut authores Fraticellorum, si fuissent Franciscani aperte non proderet, ac de nomine indicaret; quemadmodum in Bulla: gloriosem Ecclesiam fabrum defectionis Henricum de Ceva, & alibi alios nominatim perstringit.

Ad hæc, & cætera verbi tantum gratia à te adducta ego respondeo: cur ita, cur aliter acciderit, stat pro ratione voluntas. Aliam si esuris responcionem, prior quærenti mihi redde: cur nam (recentiora tibi sæcula ut recordari possis, commemorabo) Tridenti-

na Synodus Helveticæ, & Augustanæ Confessionis statores nuspiam cognominat, aut nominat? an propterea Lutherus, & Calvinus pro iis habendi non erunt? si ita: neque Fraticellorum secta, neque istæ ullum deinceps agnoscent authorem; & tu in hac Bulla damnatis Pongilupum ibi nec somniatum quidem frustra præficere adniteris. Apage igitur, & tibi ipsi gravior fieri noli.

Remittit ut observo ferocientis adversarii furor; jam enim vacillat, & ad conjecturas orationem traducit, dum ex contextu verborum meorum quasi per extasim colimat: senos, quos adduxi Franciscanos nemine excepto Fraticellorum autores, ac Primihi-los à me constitutos fuisse. Optimus hic ad eximendum tibi scrupulum vir amice verborum meorum interpres ipse ero; neque enim hanc iisdem promiscue appellationem ego unquam attribui, neque tu è dictis meis confondere potuisti. Intendat igitur charitas tua! fuerunt inquam hi omnes è primitiis Fraticellorum, non tamen cuncti è numero authorum, quos geminos tantum egomet alibi designavi. Exemplum (si fas est) à D Ignatio cape: qui licet plures excitandæ Religio-nis suæ socios in ipso etiam exordio numeraverit, solus tamen Fundator Soc. JESU salutatur, cæteri nascentis tantum primitiæ reputandi sunt. Accedit: quod eorum alii, de quibus inferius, resipuisse, atque a perti-naci

naci paucorum in errore constantia recessisse deprehendantur. Ex his , ac superioribus fluit suapte resolutio , quod adjicis argumenti.

Dico enim , & iterum dico , ut repetitione saltē capias , sex fratres istos , postquam Institutum suum refugerunt , finxisse solum Franciscanæ Regulæ ad literam professionem , veros tamen Francisci affecas ante defectionem exstissem. Etiamne tibi obscurus sum ? dicam compendio clarissime : cum assero Franciscanos à Joanne Pontifice in constitutione *Sancta Romana* condemnatos fuisse , intelligo eos , qui antea Franciscani fuerunt , eorumque contubernio se se deinde surripuerunt. Lege sis in Evangelio : *cœci vident* , *claudi ambulant* ; accipies credo sensu , ut Scholæ loquuntur , diviso , id est : qui claudi fuerunt , ambulant , qui cœci , vident . Ita igitur & mea dicta interpretare .

Verebaris fortasse , ne sublimitate ratiocinii altissime abreptus lapsu rueres graviore , quod tam subito ad contemplandam Joannis Bullam tergo dato redeas , & me susque deque ducas ? nil moror , individuus tibi adsum comes , tametsi à recto ordine deflexero , non mirum . Cœcutire me te duce oportet . Quid ergo tantum causæ tuæ hæc Bulla interest ? Bulla ait : vociferaris : *Fratricellos profanæ multitudinis fuisse* ; tales autem sex fratres tuos appellari piaculum ducis , quod multo ante Religionem ab Ecclesia approbatam

ingressi, & professi fuerint. O advocatum insignem! Lutherus igitur dici profanus minime poterit, quia multo ante defectionem approbatam ab Ecclesia Religionem ingressus, & professus fuit? sed *quis ad tuſsim, & ravim usque perſtrepis?* *Sacros Francisci ſodales profanos appelleſt?* Heus! tu ad Bullam Pontificis me revocasti: hæc mea, quæ poſterius memoras ſunt verba, quibus, ne catifam perditissimorum hominum toti Religioni communem faceres, indigitare volui me profanæ multitudinis vocabulo eos nunquam defignaviffe, qui actu Franciscani fuerunt, sed alios, qui ordinem Franciscanum cum Fratricellorum ſecta indigne commutarunt. Tu vero, ut conſicere eſt hos etiam ſeggreges licet ita appellari poſſe negas: offendisti enim in Bulla glorioſam Eccleſiam profanam multitudinem à ſeggrego etiam Franciscanorum turba longo intervallo ſecerni; conveniens autem non eſſe, ut Bulla alteri altera quoad verborum ſignificationem contradicat.

Audiamus hominem flare ſimul, & ſorberē ſcientem. Memoriā ne tibi evanuit Hyacinthe, quod opusculi prioris pag. 49. aſſeveraſti: ad caſtra Fratricellorum evolâſſe complures ex utroque clero, & Religionibus diversis? nulla tamen hic diversitate ſpectata ſectam communiter Fratricellorum Pontifex multitudinem profanam nuncupavit. Errori hoc vertes? contradictionem in ter-

mi-

minorum significatione prætendes? potiorem itaque Fraticellorum partem è promiscuis, profanis, ac nullius frugi hominibus coaliisse, a potiori autem recte denominationem fieri, si Philosophus es, scito. Reliquum quod in *abominandæ* termino præsidium locas, integrum, inviolatumque tibi relinquo; imo in tui gratiam nec voculam istam ita ad vivum reseco, ut Fraticellos non ultra execrando censem, quam tu ipse Lutheri assecelas *abominandos* putas.

Nondum ad singula, quæ hucusque complexus es, ut mihi legem dictâsti, reposui; prætersili, quod me non invitum debere largiri gannis: maculam nempe aliquam ex Religiosorum improbitate in ipsum ordinem redundare, non secus, atque infidelitatis, quam quis contraxerit nota in ejusdem posteris, universamque propaginem transscribi solet; tametsi enim quæstio præsens ad scopum, intentumque nostrum nihil conferat, cum tamen ad eam me concedendam violente cogas, irresoluta abire non potest. Quamobrem prima tibi sit responsio, quam ipse quærenti mihi facies, cur Judæ furtum, & Christi proditio nihil officiat coetui Apostolorum? Alteram ex differentia infidelitatis in DEUM, & Moderatorem humanum reddo: mortalem scilicet Principem cum circumscripta sit ejus potestas, his mediis, atque terribilimentis debere subditos in officio conti-

nere; si quis vero in DEUM impia arma fum-
pserit, & contra Ecclesiam seditionem con-
citârit, sententiam quidem ipse dîvinæ ulti-
onis evadere non poterit, filius tamen Pa-
tris, alumni sui Religio iniquitatem non
feret.

Sed iterum se tibi obtulit occasio exco-
ctam toties crambem recoquendi, cur nam
singulæ, de quibus Bulla agit Fraticellorum
classes *profana multitudine* promiscue vocentur,
si diversis suam originem authoribus debent?
Animadverte igitur profanæ multitudinis æ-
que, ac hæretici vocabulum commune esse
omnibus, quicunque ab orthodoxa commu-
nione, & inconcussa Ecclesiæ veritate se re-
movent, atque ex adverso nobis sunt: por-
ro quemadmodum his unus propterea author
appingi nequit, ita illos ad eundem ex hac
causa referendos esse tam parum evicisti. Ine-
ptire autem jam desine, ut apostatas illos
fratres ab appellatione ista vindicare pergas;
docui enim paulo superius eam his longe
aptius, quam aliarum Religionum desertori-
bus, qui Fraticellorum sectæ nomen dede-
rant, convenire. Nec juvat dicere *apostatas*
eousque inter Ecclesiasticas Personas esse censendas
(immunitate enim illos gaudere perperam af-
seruisti, cum Tridentina Synodus constitu-
erit Clericum minoribus licet ordinibus ini-
tiatum, si habitum, & tonsuram abjiciat pri-
vilegio fori, & ex sententia mihi probabili-
ore

ore etiam canonis, quod præcipuum immunitatis est caput, ipso jure privari) quoad ex-auctoratus Judici plectendus tradatur; etenim largus in concedendo tibi sum Religiosos ab obligatione votorum per apostasiam, matrimonio junctos a legibus conjugii per separationem sui privatam non solvi; ajo præterea hæreticos Ecclesiasticis etiam sanctionibus obligari, cum per baptisma ingressi sint Ecclesiam sicut suam apostatae profitendo Religionem: profanam ergo, igitur tandem (tædet meminisse toties) denominationem non tam personis, quam actionibus tribue; prouti ab historicis sacra quæcunque, & Virgines DEO dicatae profanari dicuntur. Ultra si quid à me contendeleris, ego Constantinopoli, tu in Peribesia remotissimi versabimur, Lutherum vero, & Calvinum eodem rationis pondere, quo istos tueberis, & vindicabis.

Nunc cætera istius Bullæ, uti me provocas, persequamur. Dicitur in ea, objicis: *Fratricellos contra Canones habitum novæ Religionis assumpsiſſe*: ubi etiam præmissis concessis, ut assensum conclusioni non præbeas, adverte edictum: *novæ Religionis habitum*, non habitum novum eos sumpliſſe, manifesto indicio: quod novam Religionem quis profiteri retento etiam prioris amictu possit; id quod te solo contra nitente commune Brocardicon habet: *vestis monachum non facit*; ex quo ne

verborum ultra corticem rodamus, compendio inferes 1. ut Cœlestiniani novam, atque à tua diversam Religionem excitâsse dicantur, nihil officere, quod eorum amictus essentialiter (ita dicere tibi placuit) non fuerit distinctus. 2. Neque, quod eosdem communitas ad ordinem tamquam ad corpus revocarit, ei contradicit, quod in Bulla habetur: illos regulam *D. Francisci* ad literam observare se confinxisse: nam etsi hæretici Evangelicas leges observare se ad literam confingant, recte tamen ad Ecclesiæ gremium reducuntur, cujus ante membra esse desierunt. Suo igitur muneri Tribunus militum respondet, cum profugos suæ legionis milites sub signa priora recipit; suo pariter functus officio est ordo Franciscanus, quod istos suæ Religionis desertores in sinum admiserit.

3. Ex particulis etsi ostenderent: Bullæ insertis consequens non esse, privilegium à Cœlestino acceptum per Fratricellos ostendi non potuisse; sed requisitum dumtaxat, tamquam Bonifacii VIII. revocatione jam dudum casatum ab iis non fuisse, quod paulo inferius daturi sumus; modo intermedium Lectori agat dilema illud, quod oppositum meo substituisti; est ad syllabam istud: aut nova non fuerit illorum Religio, qui se ad literam *D. Francisci* regulæ observatores vere profitebantur, quales Cœlestiniani fuere, aut mea genuina ejusdem *Divi Francisci Institutio* est? si novam esse affirmas, sequi-

quicunque observatores regulæ ad S. Francisci veterem
Institutionem non pertinere, si autem novam esse
negas, ergo fuit vetus, ac consecratio genuina mea
Institutionis. Hoc argumentum Logicelli, qui
elementis Dialecticæ operam navant, quam-
primum audierint, te, mihi crede exsybilla-
bunt, atque in suppositum tibi involabunt;
nullius enim concessione stabilivisti seu Cœ-
lestinianos vere fuisse Franciscanam Regu-
lam professos, eamdemque ad literam reipsa
observavisse, sive Religionem tuam cum In-
stituto Cœlestinianorum convenire; attende
quam verborum sis prodigus! necdum tamen
tua conticescit garrulitas: uno excusso in aë-
ra præsidio, aliud tibi continuo suppetit per-
fugium, saltitas huc, atque illuc levissimè,
mihi mirandus potius, quam imitandus. Quor-
um autem se infert? inter ordinis ut res o-
stentat tertii Fratres; Hos in aciem promo-
vet, ut junctis cum priore Fraticellorum
phalange viribus contra me pugnam ineant:
sicuti enim inquit generosus athleta bi simula-
tores tertii ordinis professores origine non fuerunt,
tametsi tertium ordinem sint mentiti, ita neque Fra-
ticelli primæ classis qui primum D. Francisci or-
dinem simularunt, ex ordine Minorum dimanarunt.
Verum aliter cornua, & alas disponas opor-
tet. His armis neuter in certamine superior
fiet; sic enim adversum te contendam: qui
in Bulla: gloriosam sub Henrico Ceva de obser-
vantia regulari se solos mira vanitate jaestabant,

origine è Minorum sodalitio manarunt, ergo etiam classis primæ Fraticelli, qui pri-
mum B. Francisci Ordinem simularunt.

Erant proinde hi tertii ordinis simula-
tores Fraticellorum appendices quædam,
ut quemadmodum germana Francisci Religio
suos habet Tertiarios, ita seductoribus illis,
qui se illius Regulæ ad literam observatores
effinxerunt, insana accesserit multitudo, quæ
tertium pari temeritate hunc ordinem eorum
exemplo mentiretur; quo cum veritati con-
formius proferre nihil possis, una agnoscis
auxiliares has copias nullum causæ tuæ sub-
fidium attulisse.

Frustra jam eos increpas, incassum gy-
rovagis nostri temporis Eremicolis compa-
ras, à quibus veste Franciscana amictis vi-
ros sœculares circumveniri passim, & non
sine ordinis tui dedecore, ac damno per
plateas, vicosque eleemosynam elici inge-
mischis; magna certe providentia: ut si cau-
sam Fraticellorum non eviceris, fideles fal-
tem ad faciendas ordini tuo largitiones exci-
tares. Nunc ad rei seriem recedamus.

Imaginaris tibi, concedas, aut neges
revocatum esse Cœlestini à successore Boni-
facio privilegium, nominatos sex tuos fra-
tres à fermento Fraticellorum purgari pos-
se, quod iidem ignorata Pontificis revoca-
tione tamquam bonæ fidei possessores in concessa
sibi vivendi norma perstare citra noxam po-
tue,

tuerint; ambidextrè! quid porro ad promulgationem constitutionum Apostolicarum, quæ in urbis campo Floræ, & Basilicarum valvis fieri consuevit, dices? an non sufficere ad obligandos toto qua late patet orbe Christi Fideles? cur hac sæpe clausula muniuntur: *ita obligare volumus, ac si in quibusvis partibus, & auribus singulorum intimatæ fuissent?* nullum affero exemplum; egisse enim pro virili sua communitatis Religiosos sine intermissione, certum est, ut segreges illos ad disciplinam reducerent priorem; ac per hos quidem revocatio iisdem ad notitiam venire, & potuit, & debuit, illi vero pristinum propterea vitæ institutum citra piaculum retinere non potuerunt. Sed jam abjecto ancipiti gladio ad unam penitus partem defendendam temet accingis, aisque: *privilegium nunquam a Bonifacio his Fratribus ademptum esse;* quam in rem Cardinalem Jacobum Cajetanum ex Pagio testem capessis. Ejus verba tu ipse postulas, audiantur: *antequam inquit ille Bonifacius Romam pergeret, ut ibi consecraretur sexto Kal. Jan. anno 1294.* Neapoli adbuc existens acta S. Cœlestini successoris sui nondum executioni mandata rescidit. Ad usque Pontificis consecrationem belle! quid autem postea? deinceps ais: in generalibus ordinis comitiis anno 1302. Genua coactis ad petitionem Romanæ Fratrum Pontis ex respondit: *Sineret Communitas Fratres illos vivere in eorum bono vitæ strictioris proposito,*

cum ei pro certo constaret eos exactius observare Regulam D. Francisci, quam eorum persecutores. Ecce Aaronis confessio! tulerunt, & dederunt tibi aurum, & projecisti illud in ignem, egressusque est hic vitulus! quomodo amabo istud Waddingus, in quem te provocas refert? *Visum* inquit ille de hac re agendum cum Pontifice, à quo dum peteretur, ut Ordini aggregarentur, revocarenturque Cœlestina Privilegia respondisse Pontificem fertur, debere in suæ strictioris vitæ proposito permitti, sibique certo relatum, perfectiores esse regulæ observatores iis, quos molestos sentiebant persecutores. Haec tenus verba dum taxat commutasti; consensitne tamen dicito aliquando petitioni Romaniæ Fratrum Pontifex? Waddingus quidem ex mea sententia testatur citato loco inquiens: *annuit itaque, ut revocarentur ad Religionis obedientiam.* Quibus inquam annuit? nonne potentibus Romaniæ Fratribus? ecquid potentibus? utique quod legisti, ut ordini aggregarentur, revocarenturque Cœlestina privilegia. Quid igitur ad tuum propositum aptum, quid ad sex Fratrum illorum defensionem accommodatum attulisti? præterquam, quod malæ fidei notam reticentia, atque subreptione ista tibi ipsi auxeris, quam neque Clarenus narrationis, quam hic subjicis ut asserit Waddingus (*d*) auctor tibi unquam deterget; qui licet se palam Pontifice omni modo purgare niteretur, affirmaret-

(d) in annum 1318. num. 21.

retque revocationem privilegii legitime sibi nunquam innotuisse, (hunc tu etiam imitari paulo ante ceperas ad excusandas excusationes in peccatis) tamen ab excommunicatis, quam contumacia sua incurrerat, vinculo, Pontificis iussu ante absolutus est, quam Eremitarum vestibus indueretur; neque tamen poena ulla resipiscenti dictata est, fortassis, ut mitiore istius fato cæteri allecti rebelles ad frugem, & redditum suavius pertraherentur.

Nova igitur Joannis Papæ concessione induit vestem, normamque Eremiticam Clarenus, quam profecto antea non abjecisset, nisi Instituti hujus revocatio eidem perspecta fuisset. Atque ab ista quidem pertinaci renitentia se tandem removit dictus hic Clarenus, in qua contumaces aliqui continuo perseverarunt: prius vero, quam id fecisset, dumque adhuc secta occulte reperet, fuit omnino inter primitias Fraticellorum. Quod si tu nondum ex ipsomet vides, ex sociis saltem, quibus adhæserat, cognosces.

§ II.

An Authores Fraticellorum è Franciscanis fuerint?

DUBIO hic exolvi non potest speculativus noster Theologus, qua de causa primo apologiæ meæ §. rubricam hanc præstituerim:

rim: an quos *Bulla Sancta Romana perstringit*,
Franciscani fuerint? cum exinceps eruere ex
eadem Bulla conatus sim Franciscanos, ac
nominatim sex illos Fratres Fraticellorum
authores extitisse; neque intelligit, quonam
paecto iterum secundo hoc §. inquiram in
Fraticellorum authores, qui jam eosdem
superius proprio nomine indicarim. Ita ille
quidem causam suam contra me acuit; at
quemadmodum practice dubius, ac sibi ipsi
irresolutus agit, ita inique, atque indebito
operatur; nam primo apologiae meæ §. nus-
piam deprehendere est me, in authores sectæ
illius indagavisse, aut sex Fratres illos tales
nominavisse, id quod etiamsi ex *Bulla San-*
cta Romana exsculpere voluisse, nihil ta-
men incongrue, atque prudentum reprehen-
sione me fecisse existimarem; ipse enim, qui
festucam in oculis meis hic designavit, tra-
bem ante in suis gessit, cum propositum
sibi scopum *Franciscanos non fuisse*, quos *Diplo-*
ma perstringit Pontificium, ferme ex Bullæ ter-
minis elicere, atque inferre laboraverit,
probaveritque verbosissime ordinem Franci-
scanum, neque novam Religionem, neque
profanam multitudinem, qualis in ea per-
cellitur, censeri posse. Quod causæ hujus
examen tametsi ex proprio hominis ingenio
profectum fuisset, ego nonmodo crimini
non vertissem, sed etiam collaudasssem; is
autem inconnexè, ac temerè a me id fuisse
fa.

factum garrit. Nimirum : *dicebat cacabūs ollæ.*
 Hunc ego igitur , ut quisque quam recte
 egerim videat , Apologiæ meæ ordinem , ac
 seriem constitueram , ut primo §. inter da-
 mnatam Fraticellorum colluviem contineri
 etiam Franciscanos ostenderem , nulla injecta
 mentione , num sectæ authores fuerint , an
 sectatores ; Altero dein §. docerem , & per-
 suaderem hæresim istam ex ipsa Franciscana
 Religione ortum suum duxisse ; tandem ne
 universa Religio hoc crimine laboraret ,
 singulares tertio §. proferrem authores , eo-
 osque nomine suo compellarem . Quid in
 eo censura , aut crisis obsecro notandum
 inveniet , nisi ut probet ? inane ergo dubi-
 um jam depone , ut de cætero te audiam ,
 multa enim adhuc superesse , quæ objicias
 persentisco .

Ac principio statim magno calore con-
 tendis ad authores Fraticellorum , consti-
 tutionem glorioſam Ecclesiam minime pertin-
 re ; verum plus non ultra : sponte enim , ac
 libenter hoc tibi admitto ; neque etiam hac
 eos Bulla profligatos fuisse ego uspiam dispu-
 tavi . Id unum ex ea me exhibuisse confi-
 do : gravem multo ante tempore de pauper-
 tate inter sodales Franciscanos exarsisse con-
 tentionem ; cui cum quidam pertinacius
 insisterent , facta abs reliqua communi-
 tate secessione in varios errores infelici gra-
 datione , imo præcipiti ruina delapsi sunt : ex
 hujus

hujus deinde quæstionis agitatione, qua ve-
lut clypeo quodam se Fraticelli communi-
erant, originem eorum in Franciscanam
Religionem consecutione legitima invexi.
Nihil proinde hic de authoribus mihi fuit.
Nihil æque tibi, nisi ex risu cognosci ve-
lis ridiculum. Neque Matthæum de Thea-
te fuisse constitutum in Græcia hæreticæ pra-
vitatis censorem ullibi commemoravi, imo
de industria provinciæ S. Francisci finibus
ejus jurisdictionem circumscripti; sed ex da-
ta scilicet ad eumdem Pontificis epistola per-
hibui, quantam Fratres Græciæ calamitatem,
atque perturbationem in Ecclesiam invexissent, dum
coacto è rudi plebe, & regularis observantiæ
desertoribus sodalitio tantam undique socio-
rum multitudinem sibi aggregarunt, ut ipsam
brevi Umbriæ Regionem inundaturi videren-
tur; cui malo obviaturus in tempore Ponti-
fex Literas, quarum fragmentum adduxisti,
ampla cum potestate ad Matthæum dedit.
Tu vero omnia pro libidine mihi appingis,
& epistolam istam constituendorum autho-
rum gratia me protulisse declamas, quorum
causam studiose in opusculo apologetico ad
tertium omnino §. à me conjectam, dilata-
tamque fuisse nemini, ad quem illud perve-
nit, ambiguum est. Cæterum nolim existi-
mes Bonifacii tempore immaturum hunc fœ-
tum nondum pullulavisse; verum diutius
tantum sub pietatis pallio delituisse puta,
dum

dum manifeste déTECTA improborum fraude
Joannes deMUM XXII. excommunicationis
fulmine tamquam apertam hæresim eum per-
culisset.

Waddingus num ad eumdem annum
constitutionem glorioſam cum altera, quæ in-
cipit *Sancta Romana* referat, mihique con-
sentiat, suis se verbis prodat: ita enim
Franciscum Penna fugillat: *præterquam* inquit
(e) quod erret in tempore, quo data est *Bulla*, &
priorem dicat altera, quæ incipit: *Sancta Romana*,
dum ista anno superiori, illa vero nonnisi hoc anno
edita sit, in quem dies 10. Kal. Febr. anni 2.
Pontificatus incidit, uti satis exploratum est scienti-
bus has notas. Carpit igitur Annalium scri-
ptor Franciscum Penna, non quod Bullas
istas annorum intervallo distinxerit, sed
quia præpostere eam, quæ incipit glorioſam
prius altera prodiisse putavit. Eymericum
etiam in eo redarguit, quod plures inter
duo hæc diplomata constitutiones intercessisse
somniaſit; diversos autem utriusque annos ab
ipsomet assignatos fuisse prælatis verbis con-
testatum videtur.

Recta ergo intentione, non malevolo
animo ipsam authoris mentem me exposuisse
vides. Si porro à proposito tantillum uti
affirmas deflexi, non est cur tantopere mi-
hi vitio vertas, cuius opellam marte pro-
prio, privataque industria concinnatam fu-
isse

(e) in annum 1313. num. II.

isse non dubium est: expeditior autem, magisque tuta tibi via scribendi se obtulit, ut rem, & verba alterius inoffenso calamo usurpares; qua in re non tam delicti turpitudinem, quam frontis tuæ capacitatem admiror. Verumtamen non impertinenter fuisse perme adductam Apostolicam, quæ inscribitur *gloriosam* constitutionem, si adhibitam ejusdem apodosim revolveris, deprehendes; veteranum enim (de quo haec tenus toties) Franciscanorum de paupertate dissidium multas in ordinem invexisse scissiones oraculo Pontificio ego comprobare volui, ut Fratricellorum cum iis exordium, sicuti temporis consensit calculus, certa quadam affinitate connecterem. Sicilianos vero incidenter tantum commemoravi, ut longe perniciosissimam eam Faatrum fuisse dissensionem luculentius ostentarem. Istud cum bene expenderis, alteram etiam, qua adhuc laboras difficultatem, dogmatis videlicet differentiam nullo negotio resolves; dixeram enim ego Fraticellos communi nomine appellatos fuisse, vel quod communis omnibus fuerit amictus, prætextaque religio, vel quod in eamdem sectam subinde desierint: ex quo sane assertionem absolutam quasi omnes Fratricellorum classes in eamdem sectam coivisse affirmaverim educere, nisi vel manco iudicio, vel pravo affectu non potuisti. Sed & doctrinæ unitas soli Catholicæ Ecclesiaz

ita propria est, ut ad probandam ejus veritatem hoc sæpenumero indicio, atque argumento contra sectarios utamur; quod si in Theologia tua inutilibus concinnandis libellis non distractus legisses, facile nunc assequereris quo pacto sectæ uni dogmata plurima appendi possint: verum pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Occurrit modo ex ordine examinanda dissertatio tua, quam pro vindicandis ab hæresi Sicilianis liberali verborum profluvio inundasti; at non multis eam morabor: fas enim de te compendio dicere puto, quod de Waddingo, ac Dermitio ob hanc rem Rajnaldus notavit, tautarum inquiens bæresum (f) calumnias falso impactas his pseudo-minoritis contendit ex inanibus conjecturis auctor recentior, & à sodalibus contra fas accusatos, eo, quod obsolescentem S. Francisci disciplinam suo splendori restitui cuperent: longe enim abesse à summi Sacerdotis autoritate, ac providentia debet, a Joannis præcipue exacta sapientia abhorret ad leves obtrectatorum susurros ita Christianum orbem commovere; & quamvis concedam in quæstionibus facti posse Papam falli, ea tamen reverentia Sedis Apostolicæ fastigium suspicio, ut in iis etiam plus informationi Pontificis, quam cunctis annalium Franciscanorum narrationibus fidei, atque

E

autho-

(f) Ad annum 1318. pag. 185.

authoritatis inesse credam; cum semper facilius sit hallucinari scriptorem historicum, quam Pontificem post institutum rei examen in errorem labi. Unde temerarium te non immerito censeo, quod narrationi in Bulla contentæ Regis Friderici authoritatem inurbanitate quapiam anteponis; quem tamen minime tibi suffragari mox doceberis, cum ad ea, quæ Provincialibus suis, ut discolos Fratres illos sub disciplinam redigeret, illico, ac Pontificia eidem epistola redditâ est, in mandatis dedit, animum adverteris.

Verum tu subirasceris mihi denuo, quod authores tuos Waddingum, ac Dermitium ante condemnaverim, quam legerim; tametsi confessione ipsa tua in eadem pagina ego Dermitium, tu quem excarnificas Bzovium legerimus: cur quæso præter hunc alias Baronum Cardinalem, & Raynaldum contemnis? quos nunquam (ipse ait vidisti) quam tibi ipsi parum constas! unde autem es subodoratus Waddingum mihi ad manus non fuisse? verba utique mea obtrudis, *opportunius & isti mibi occurrit?* Fecisti omnino Hæreticorum more, quod sententiam hanc tam absurde mutilaveris. Proferamus jam Lector Benevole universum verborum contextum, & cujus fidei Hyacinthus noster sit, ab eo metiamur. Ita ego pag. 13. afferre in argumentum narratorum meorum possem irre-

fra.

fragabile illius juxta, & nostri ævi scriptorum testimoniū, e quibus geminos tantum, Dermitium videlicet Thaddæum in sua nitela, & Waddingum in Minorum annalib[us] reperio, qui desperatæ causæ tuæ asylum præbeant, utrumque Ciceronem pro domo sua. Verum enimvero oportunius & isti mihi occurrit, & bactenus dicta clarius elucescent, ubi latentes adbuc inter Franciscanos Bizochorum, & Fraticellorum authores in appicum adduxero, ditoque indicavero. Hæc paulo fusiū, sed necessario iteranda fuerunt, ut nullam in scriptis adversarii gravitatem fuisse testarentur. Scito autem Hyacinthe geminos hos authores in præsenti materia ideo suspectos mihi esse, quod exteros non inveniam iis accedentes vel saltem conniventes; tum enim scriptoris domestici magna est fides, firmaque authoritas, cum aliorum consensu, & adminiculo roboratur. Hinc non est, cur Waddingum multis extollas encomiis, non enim prius perfectum omni ex parte hominum celebrabitur elogium, quam cum laus erit unicuique à Deo: Ipse certo Waddingus mariānum suum aliasque collaudat, ab ejus tamen, cæterorumque opinione refudit non semel; sincerum pariter eumdem scriptorem nos agnoscere possumus, quin vacillare aliquando diffiteri non debeamus. *Vel bonus interdum dormitat Homerus.* Alvarus porro, ac reliqui in tua causa testes non idcirco à me repulsi sunt, quod rei istius mul-

tum illorum interfuerit, sed quia non de-
sistis, quos persequimur Fraticellis, aut si
de illis, confuse, & promiscue meminerunt.
Nolim eorum testimonia iterum proferre;
legantur hæc in opusculo tuo superiore: ego
ad ea solum te revoco, quæ alias affirmavi-
sti: *Fraticellos sectæ suæ initium anno 1317. pos-
suissæ: ex quo consequitur omnes, quicunque
antiquiores memorant Fraticellos, ad con-
troversiam hanc pertinere non posse; tales
funt Pelagius tuus, Conradus, & Matthæ-
us, aliique, quos inter, & authores meos
comparationem instituisti, cum revera nec
mihi, minus tibi suppetias ferant. Libet id
ex tuismet verbis conjicere; qui pag. 95.
& sequ. ais: recensitos abs te authores ad
unum omnes Fraticellorum originem ad Pongilu-
pum referre: agunt proinde causam illorum,
qui in Concilio Viennensi anathemate feri-
untur, non istorum, quos posterius sectam
suam excitavisse doces. Nec vacat singulos
hic vocare ad examen: unum pro omnibus
adducam Jacobum Philippum Bergomas,
quem scriptori mihi familiarissimo Raynaldo
opponis; quantum is tibi faveat, ex magistro
Ludovico Baill à te ipso pag. 72. recitato
audiamus: *testatur inquit Guido Carinelita agens
de eorum Hæresibus, eos se dixisse fratres, & sor-
ores de tertio ordine S. Francisci, quam nuncupationem
alii, illis tribuunt... non ergo franciscani authores
statuendi hujus sectæ, sed Hermannus quidam Italus**

di Etus

dictus Pongilupus, DE QUO BERGOMAS IN SUPPLEMENTO AD ANNUM 1298. HÆRESIS EORUM INQUIT, QUI SE FRATRICELLOS DE OPINIONE VULGARITER NUNCUPANT, HOC Eodem anno a BONIEACIO DAMNATUR. &c. &c.
 loquere! de iis Fratricellis agit Bergomas, quos anno 1317. sectæ suæ initium posuisse dixisti? non ne Pongilupi hæresim 19 annis ante damnatam, quam hæc tua nata fuerit refert? Quantum igitur in eo patronum contra Odoricum es nactus? Etiam ne habes, quod mihi obtendas: me in requirenda Fratricellorum origine ad epistolam Bonifacii deflexisse? cum tu ipse 19. annis, ut retuli ab eorundem exordio desciveris, ambiguis ipse potius Ovidii fluctibus agitatus.

Atque ex hoc loco planum perinde fit sententiam Guidonis te non ex Baillo, sed ex teipso nota juris duce cognoscere debuisse, ut videres quid Guido in annum 1317. dicat. Eymericum vero si adversarium tibi esse negas Waddingo primum è diametro contradicis: facis deinde, ut credam te directorium viri illius nunquam inspexisse; cum porro utrumque legeris, polliceor tibi me utriusque autoritatem pro viribus vindicaturum esse, palamque facturum, quanta adnotationum, quæ in juris corpore clauduntur (etsi in legem migrare non debeant) ratio sit habenda. Ita enim comparatus sum,

ut, si eorum, quos recitas notæ in hoc titulo meminissent, nihil prorsus dubitarem eorundem aquiescere fidei, atque opinioni, recta id ratione exigente, ut isti, qui designantur in notis cæteris præstent fide, ubi autem alii proponuntur consulendi, hi præ omnibus valeant autoritate,

§ III.

An Petrus de Macerata, & Petrus de foro Sempronio Ordinis Minorum apostatæ fuerint, initiumque Fraticellorum sectæ dederint?

IN parte ista operis tui tertia ad ultimum jam te video alphabeti Hebraici terminum lamentationes perduxisse; ne itaque moerore nimio contabesceres, consulto excusationes meas quascunque potui libello huic præposui, inque ejusdem exordio te satis, ut confido recreavi. Modo quod paragraphi hujus præcipuum est agendum mihi superat, ut Jordano auctoritatem conciliem, productumque ab eo è vaticanis manuscriptum, quo nihil adversum te clarius, vel efficacius afferri potuit in vigorem quoquo demum modo afferam. Esto igitur pro utroque satis, utrumque à Purpurato Historiæ Ecclesiasticæ Parente Baronio (g) expressis verbis, non secus, ac testimonium in

(g) In sylva manuscrit. pag. 400.

In rem suam validissimum citari; quem si tu pag. opellæ meæ 16. designatum adi-
visses, non dices profecto auctorem
hunc mutilum à me productum esse. tanto
vero his firmior habenda est fides, quanto
ab ullius crisi, aut reprehensione securior
hactenus apud Baronium fuit illorum alle-
gatio. fuerunt enim te etiam perhibente
complures, qui sedulam impenderint ope-
ram, ut quicunque in tantam operis molem
nævi obrepissent, omnino detegerentur,
neminem tamen ex omnibus deprehenderis,
qui recitatum in ea seu Jordanum, sive hoc
manuscriptum dubia fide notarit; quibus,
cum neutquam suspecta eorum fuerit asser-
tio, tibi perspecta esse debet authoritas.

At tu Jordanum in lexico eruditorum
non reperis? cur non potius communi ex-
ceptione ad removendum eum uteris dicen-
do: hunc cum aliis erga Religionem tuam
male animatum fuisse? Examina quæso dili-
gentius denos illos, quos nominari deprehen-
disti; forsan inter eos numerum & iste faci-
et: aut si demum non inveneris, facile mihi
persuaderim lexicon tuum esse indicem
eruditorum dumtaxat gregalium tuorum; ne-
que enim, si aliorum haberes notitiam,
eosdem posses tam facile aspernari.

Tergiversare jam prout libet, ante
concessionem ne Coelestini Pontificis, num
deinceps gemini hi Petri apostatae, & hæ-

retici evaserint; certum enim habeo, eos non superiorum Regularium venia, sed privilegio immediate Pontificis Institutum suum pristinum declinavisse, novumque i- stud vitae genus arripuisse: revocata proinde à Successore Bonifacio concessione Cœlesti- niana(quod certo accidisse ego superius invicte demonstravi) redire ad Disciplinam veterem iis necesse fuit; quod cum facere detrectaverint, neque tu ad Franciscanam Religionem eos revertisse docueris, quid supereft? nisi ut apostatas fuisse effectos mecum fatearis. Veniat etiam tibi cupio in mentem, quomodo reducem subinde ad se Pontifex Angelum Clarenum sit allocutus: non ne primum ex eo sciscitabatur *quare à Minoritis recessisti?* argumento non obscuro: Angelum sui ordinis refugam habitum fuisse, verum in benedictione viri istius, & Socii Thomæ Tolentini sit memoria; hunc enim, illum que vera ductos poenitudine deviis neglectis aliis ad frugem rediisse, ac reliquum vitae religiosè traduxisse, pie denique dormitionem accepisse agnosco; neque iisdem me detraxisse, aut ordinis decorem violare voluisse; nec rerum gestarum seriem invertisse (in quo iniquissime a te accusor) mihi conscius sum: cum enim è primis Fraticellorū eos fuisse memoriae prodidi, non aliud ame fuisse actū autumo, quam quod Paulus ante fuerit Saulus, & Dismas Latro affirmatus. Tu autem, qui ista assequi non potu-
isti,

isti, multis in medium adductis authoribus evincere, quod alioquin defenditur, laboras, Thomam Tolentinum inter Divos Christi martyres censeri; quamvis ad hanc rem unicum tibi scriptorem, eumque Waddingum, è cuius loco duplici cæteros more tuo ad verbum exscripti nominandum fuisse compcriam; nisi intentum forsan habueris pro doctrinæ tuæ celebritate ea etiam congerere authorum nomina, quorum nequidem figuram extimam conspexisti:

Tenet igitur manuscriptum, & Jordani authoritas, atque evincit eos, quorum agitavimus causam Petros ordinis Minorum fuisse apostatas, imo & hæresiarchas. Posteriorius tamen hoc paulo adhuc clarius illustrandum mihi esse puto: nonne vir amice ipse confessus in opella tua es, Petrum utrumque discipulos, ac socios fuisse Fratris Liberati? patere igitur ipsi viri hujus comites prohibeant, qui fuerint: etenim tantum apud te pondus in præstituendo Fraticellis auctore invenit propria Friderici Damiani confessio, idem addebet robur istorum obtineat testimonium: jam vero quid horum duo ad examen tracti de suorum contuberno protulerint, affirmarintque, ex Waddingo authore integerrimo petamus. Tandem inquit ille (*b*) in tormentis duo vacillarunt adolescentes, qui se, reliquosque hæreticos esse dixerunt.

Quantam porro fidem confessio ista apud causæ judices habuerit, ex lata adversus reos sententia, factaque in eos animadversione liquet: hanc ita refert fuisse dictatam loco citato Waddingus *denudantor*, per plateas Neapolitanas *ducuntor*, *virgis ceduntor*, ex universo regno *expelluntor*. Bene profecto Petrus uterque pelli suæ consuluit, quod Fratre Liberato cum suis in Italiā recedente ipsi se in Græcia occuluerint, ne idem cum sociis fatum subire cogerentur.

Contemplanti autem mihi hos Petri Maceratensis, & Sodalium casus conceptu difficile visum est, quid tandem ipse præ cæteris singulare gesserit, quod tota in eam Religio suspiciendum, quod fortunatus Hueber in suo menologio celebrandum habeat? Puto (non enim quid contineat profers) eum insertum menologio esse, sicut Pontium Pilatum Symbolo Apostolorum: istud præterea in comperto mihi est menologia hujus modi privata modicæ a doctoribus fidei reputari; narrat enim eruditissimus Wan-Espen Monachii in Bavaria, vetustissimo monasterii menologio cum insigni laude insertum legi etiam Petrum Joannem olivum, quo nilominus contempto eundem à plerisque ut impostorem, multarumque hæreseon inventorem damnari.

Huc.

Hucusque amicos, & familiares invicem sermones miscuimus: cum tu repente me iterum redarguis, quod veracitatis, eruditionisque tuae famam quamvis non longe Buda absuimus, ad nos non pervenisse protulerim, & si hæc antea incautus præmiserim: alia crede mihi vulgus à te volumina Reipublicæ Litterariæ pollicebatur: hæc inquam male interfere cohærere contendis; si enim inquis eruditionis, & veracitatis fama de te nulla fertur, cur ergo Respublica Litteraria volumina à te expectat? Sed considera obsecro, non dixi: Respublica Litteraria sibi à te volumina pollicebatur; quomodo igitur? vulgus litterariæ Reipublicæ opinione enim, ac stupore vulgi te omnino excelluisse relatum mihi fuit, verum Litterati circum homines ne quidem natusue, an ales, an bipes fueris de te audierunt; en quomodo me doces propositionem tuo judicio falsam transferre in veram? hoc quamdiu factito, subito occurrit tibi, ut ex me, quid de fratre Liberato sentiam, curiosius requiras; respondeo: pium hunc Virum in Italiam ultro rediisse, nec aliis, qui in Græcia remanserant in pertinacia Communicasse: subivisse libenter inquisitionis judicium: Catholice in omnibus sensum suum reformavisse: ærumnis demum Confectum diem obiisse, Nondum hæc tibi responderam, & jam limites rerum in ordine gestarum me transiliisse, & in ea, quæ au-

res

res ipsæ respuuut per inconsiderantiam rus-
isse, atque impegitte clamitas. Aspera qui-
dem, mihi tamen gratissima est increpatio
tua; confiteor enim, cum de re franciscana
agimus, versari nos in lubrica materia, ubi
præstantissimos quosque authores lapsos fu-
isse in errorem tui annales prodiderunt.
vides quantum tibi conniveam? modo Jor-
danum meum, ut ne ultra exagites: quod-
cunque Is Maceratensi, & Foro Sempron-
iano Petris dogma tribuerit, parum refert;
proprium hoc ego omnibus, qui in verita-
te, non ambulant, puto, ut quovis vento
doctrinæ susque deque ferantur. At neque
quod narrat de fratre de Bodicistam facile
inter fabellas conjecteris; nam quæ tibi in-
credibilia, ac ridicula apparent, multis à
me adductis Scriptoribus possibilia, & reve-
ra accidisse videntur. Nunc missis effæminati
animi querelis, quas huc novissime intor-
sistī, reliquos centones tuos excutiamus.

Ignominiosum tibi accidisse pag. 91.
luges, quod insolentia quadam te invase-
rim, jactaverimque in temporis ratione aper-
te errorem te admisisse. Ita inquam: & qui-
dem ex quo eluctari non possis. Fac de-
nudū calculū ineamus, reprehensibilem que-
te fuisse fatere: præfecisti itane fratricellis
authorem Italum quemdam Pongilupum te-
ste à teipso citato Joanne Baptista Pigna sub
annum

annum 1300. exhumatum, ignique combus-
 sum? Fraticellorum deinde initium ad an-
 num Christi 1317. retulisti: quid plura?
 me tacente quivis intelligit hæc inter se
 exhibitis etiam omnibus arithmeticæ, &
 algebræ subsidijs nunquam conciliari posse.
 At tu errorem tuum culpâ meâ excusare,
 vel plane expiare conniteris, quod ipse
 perinde Joannem Olivum in Fraticellorum
 Patriarcham asseruerim, quorum is exortum
 viginti sâne annis morte sua præcessit; ve-
 rum, si attendas, dispar toto cœlo est ut-
 robique ratio: nam ihunc quidem Patriar-
 ham sibi præstituere, ac propterea ad sum-
 mum venerationis apicem evehere sectarii
 etiam post Sæcula, ob relictâ ab eo Scrip-
 torum, Librorumque monumenta, ex qui-
 bus venena sua hauserant potuere; id quod
 Janzenianis etiam, nisi te solum lateat ac-
 cidiisse perspicuum est, qui D. Augustinum
 longe post vitæ suæ exitum temere, atq[ue]
 inpudenter autesignantum doctrinæ suæ nun-
 cuparunt. Qualia tu jam Pongilupi opera
 profers, è quibus sectam Fratricellorum
 conficias, nisi hominem à mortuis prodigi-
 ose ad vitam revocaris? Nec opus ultra
 quid fieri potuerit, sed quid factum sit,
 scrutari: certe Pongilupi hæresis à Boni-
 facio dudum condemnata vel in ipso tuo
 opere invenitur; ut quid ergo iterum à
 Joanne damnatur? quare non potius more

alias

alias usitato prior dumtaxat constitutio ad-
versus pestem eamdem innovatur? vel non
saltem in Bulla *Sancta Romana* superior damnationis
sententia mentione attingitur? nempe: quia secta posterior remotissime ab il-
la distincta ad eundem authorem Hermannum
referri nec debet, nec potest. Denique ut tuis te armis confodiam, nonne
professus es in eadem secta defendi diver-
sa dogmata haud posse? hoc si non retractas,
luculentum est illico damnatam proprius Fratricellorum classem à Pongilupi secta exaffe
dissidere; quicunque enim unius, & alterius
dogmata, ritusque vel in obvio quovis
historico legerit, nullam omnino doctrinæ
communionem iisdem intercessisse deprehendet. nonne contritus est laqueus, quo intricare
me voluisti? modo teipsum ut expedi-
as cura: potior sane opera hic te fatigabit,
quam inutilis illa de amoliendo à te *Mona-
chi* vocabulo sollicitudo; tam enim ego te
invidiose Monachum appellavi, quam ma-
litiose Waddingus domicilia, ædesque Mi-
norum Monasterii nomine saepius designavit;
esto ergo cautior ea in controversiam dein-
vocare, quorum de nomine lis est.

Nunc veni jam ad Tabulam mecum;
quantusque fuerim chronologus una arbitre-
mur; quinque enim mihi menda exposuisti,
quibus totidem sparsim in opusculo tuo com-
missa mendacia ego opponerem, nisi animi
mei

mei modestia repugnaret; quæ tamen haud impedit, quomodo moderate ostendam inquam, vel tandem incautam hanc tuam fuisse exprobrationem. Verba ipsa tua cum meis conferantur: arguis enim: me primo inquisisse Hermandum Pongilupum triginta annis prius obiisse, quam Fraticelli per te anno 1317. sectæ suæ initium dederint; si igitur (subdis) retro numerem, & triginta annos subducam, prodibit annus 1287. atque adeo Pongilupus decimo tertio sæculo mortem oppetiit; cum tamen ego apertis verbis pag. 18. sæculo sequenti, decimo quarto scilicet fato functum exponam. Hoc primum mihi mendum objicis? at heic dupli in loco sensum meum vel assecutus non es, vel prave ad tuam mentem detoristi; Lectorem appello! verba mea sunt: adverat quisquis legit, qñ inter se cohærent dicta Monachi Campionis: substituere is contendit Petro utriusque Pongilupum, qui triginta sane annis sæculo decimo quarto prius vita fundus, & ante, quam fraticelli, ut ex eodem retuli, sumpsissent exordium, exhumatus, ignique combustus est anno 1301. Ubi jam affirmavi ego Pongilupum sæculo decimo quarto, aut triginta dumtaxat annis ante statutum à te Fraticellorum initi tempus mortem oppetivisse? cum potius ante ipsum quartum decimum sæculum annis triginta obiisse, & millesimo trecentesimo primo anno exhumatum, combustum-

que

que fuisse afferuerim. Atque non aliter à te etiam sententiam meam fuisse intellectam persuadeor; si enim vel triginta annis ætate Fraticellorum prius vita functus est Pongilupus, quod meum esse ais, quo modo amabo est mortuus saeculo decimo quarto? intellige ergo prius, contra quod scribis &c.

Cæterum Friderici Damiani calculum meum ita non facio, ut quæcunque protulerit, probem; qua enim in re illius sim redivivus, ipse apologiæ titulus abunde declaravit: in quo geminas tantum ejusdem propositiones in verum me asserturum esse spopondi; tu autem per chronotaxim diversam defendi eamdem sententiam posse non abnues, ubi dissidentes in calculo Danielis hebdomadarum Interpretes sacros aliquando legeris. Et proinde, quod admirer, sensu te adeo liberali in redivivum fuisse, ut si fortassis lethale quoddam mortui delictum tibi innotuisset, id etiam ipsum mihi redivivo imputavisses; in quo quid apud alios iudicii incurreris, ominare. Interea vero justam qua erga te affectus fui commiserationem agnosce; tametsi enim librorum tuorum supellectilem non usurparim oculis, pertigit tamen eo mentis providentia, quo præsentia corporis non pervenit; ut adeo remotus etiam pviderim unico in rem tuam (à quo cæteri ex Ordine recitantur) tibi opus fuisse authore Waddingo. Quod si

alii præter hunc scriptores ad manum tibi fuerunt, hos brevi omnes cum blattis, ac tineis certaturos esse provideo, si tantum continuo illorum usum feceris, quantum in libello tuo scribendo habuisti. Unam legisse te opellam Friderici Damiani inficiari non possum, è cujus confessione litem hanc dirimere laboras, quod loco à te citato asserat Pongilupum Fraticellorum innovatorem, vel plane authorem fuisse; at vero tunc primum sibi Damianum fuisse adversatum ex hac fassione elicies, cum omni tempore nullam præter unicam emersisse Fraticellorum sectam demonstraveris; is enim, prout diversas hujus appellationis hæreses retulit, ita authores, annosque illis distinctos adjecit; ut cum de postremis tractatum institueret, aperte senferit, ac dixerit Petrum de Macerata, & Petrum de foro Sempronio Ordinis Minorum apostatas Fraticellorum sectæ initium dedisse.

Secundo jam vento, & non tam incauto, quam hucusque pede progredere ad ponderandum penitus, num inconveniens à me fuerit responsio illud: *nihil tam naturale est, quam ut res quævis per quas causas nascitur, per easdem dissolvatur*; adhibui enim hanc juris regulam, ut sapienti paucis sensum meum indicarem, impensam à Franciscanis demoliendæ, evertendæque Fraticellorum hæ-

resi operam nihil consecutionis afferre, quominus pestem hanc ab eoruudem ordine sumpsiisse originem statuatur; an iste scopus mihi fuerit, verba mea loquantur: *nec terreare ajebam ego pag. 19. vocare tuos in dubium hoc solo fundamento, quod ii extirpandis, dissipandisque Fratricellorum sectis plurimum impenderint operæ, atque contentionis; nihil enim tam naturale est &c.* Hanc certe opinionem tenuit semper, tenetque universalis Ecclesia, cuius imperio quicunque adversum orthodoxæ fidei dogma, aut ipsi senserunt, aut alios imbuerunt, ante, quam ad gremium fidelium admitterentur, pallinodiam canere debuerunt. Ita etiam in morum genere, qui facto aliquo proximis offensioni fuit, eundem ad reparandum scandalum cogere solemus. Cur ergo tu ad juris me apicem in explicanda hac sententia stringis, cum VETERANUS THEOLOGUS nosse debeas, oportere non intentionem verbis, sed verba intentioni servire? multo autem petulantior es, quando ex propositione ista absurdas quasque in me conclusiones retorques, dicendo: *ergo cum Pelagiani per Divum Augustinum expugnati sint, Divus Augustinus eorum auctor fuit &c.* non enim mentem meam impugnavisti, cui conformiter ita insti-tuendum erat argumentum: *naturalius fuit ab Augustino, quam à Pelagio expugnari Pelagianos: ergo vacillat propositio: verum probandum*

hoc

hoc modo, ast nunquam comprobandum tibi supereſt antecedens. tu vero, ut multiplicares loqui ſublimia ſcribis de verbis, quantumviſ. Sat igitur eſto contra verboſum verbis hucusque contendiffe.

§. IV.

An Petrus Joannes Olivi Fratricellorum Patriarcha salutari debeat?

IN unum Joannem Petrum controverſia hoc §. definiſit; num ipſe videlicet Fratricellorum à me Patriarcha ex æquo conſtitutus ſit? quam tu quæſtionem, ut orationem amplificare poſſes, tripartitam in Vindiciis tuis effecisti, & num Petrus iſte prium hypocrita, deinceps hæreticus, Patriarcha demum audire debeat, ſeorsim examinasti, ac mihi ut ad omnia, & ſingula tua argumenta repondeam pag. ſuprema legem dictavisti. Faciam, nec jotta a me deſideres, modo ultra in ſcirpo nodum quærere deſiſtas, nec Raynaldo amplius levicule ſuccenſeas, quod Lucam Waddingum exatiffimum, accuratiffimumque ſcriptorem appelleſt, à cuius tamen ſententia nonnunquam deſciſcit; qua enim id ratione fieri ſine contradictione poſſit, priora tibi in memoriam revocabunt: & res alioquin ipta argumentis non eget; tantum eſt, ut memine-

ris, quoties tu ipse per decursum Theologiæ a D. Thoma Scholarum Angelo cum reverentia diffensisti. videndum igitur potius, an testimonia Raynaldi fide, ac veritate nitantur? primo affirmat Ille Petrum Joannem Olivum judiciaria Ecclesiæ sententia esse condemnatum: tu vero dogmata damtaxat ejusdem, atque propositiones in Concilio Viennensi confixas, non authorem anathemate percussum fuisse doces. verum ad propugnandam Raynaldi, & meam sententiam nihil ultra est, quod petas; diximus enim virum hunc non plane hæreticum, sed plurium tantum hæreseon inventorem extitisse; invenire autem, & spargere dogma hæreticum citra pertinaciam unusquisque, esse hæreticus nemo potest. Cum tamen ita tibi placuerit, non ab uno hominem in hæreticis penitus habendum esse, tantum enim ad immunitatem illius argumentum contra me protulisti, quantum Calvino, & Luthero proficeres, si contuleres utrumque sectæ suæ authorem non fuisse, quod synodus Tridentina dogmata illorum, non personas profligaverit. positiva è contra apud Joannem Pontificem (ad quem hujus rei causâ venturum me esse probe vaticinatus es) rationum momenta invenio, ut asseram non pauca ejusdem Petri dogmata in ipso authoris sensu à Pontifice Joanne per damnationem abolita fuisse; testatum id reli-

reliquit spectator Tragædiæ (. modo fide integræ à te recitetur) Alvarus Pelagius; cum enim coactæ Episcoporum, Cardinalium, & Magistrorum Synodi sententiam refert, ait congregatos uno ore Pontifici hoc modo respondisse: si Petrus Olivi secundum Intellectum, & declarationem Decreti exiit id accepit, verum dicit; si autem intelligit (sequentia suppresisti) SICUT IPSE ALIBI DECLARAT, & SUI SEQUACES ASERUNT, quod regula B. Francisci sit vere, & proprie idem, & idipsum, quod Christi Evangelium, & e converso, quod D. Papa non habet potestatem super eam, sicut nec super Evangelium, &c. hoc totum simpliciter reputamus hæreticum, ridiculum, & insanum. (i) En verba concilii hujus ex Alvaro tuo deprompta, ex quibus colligi debet Petrum Joannem insignem hypocritam, & omnem, qua aliis videri voluit à te adductam ejusdem declarationem, fictionem meram, atque simulationem fuisse. At mihi obtendis facto hoc per Cardinales, Episcopos, ac Theologos examine nullibi consequenter legitur latum à Pontifice damnationis contra Olivi doctrinam decretum fuisse: imo vero ajo nihil à te facilius, quam hujus testimonium deprehendi potuisse; ita enim primo manuscriptum vaticanum (k) habet: anno Domini 1325. sabbatho primo quadragesima condemnavit

F 3

(Joan-

(i) Lib. 2. de planct. Eccl. cap. 59. (k)
M. S. Bibl. Vat. num. 3765. in Jo. 22.

(Joannes) postillam Fr. Petri Joannis Biterrensis Diœcesis de Ordine Minorum: ex qua fomentum sumpsit quædam secta pestifera illorum qui se pauperes de tertio ordine S. Francisci appellant, ex quibus multi fuerunt combusti. Num certior adhuc fieri cupis? Bernardi confirmationem accipe: Anno inquit Domini 1325. sabbatho primo quadragesimæ, quæ fuit VI. Idus Februarii Dominus Joannes Papa XXII. reprobavit, & sententialiter condemnavit in publico consistorio assistantibus Cardinalibus, & Prælatis, & Magistris in Theologia, & Doctoribus utriusque Juris quandam pestiferam postillam, quam Fr. Petrus Joannis olim Ordinis Fr. Minorum de Serinhano Diœcesis Biterrensis fecerat super librum Apocalypsis B. Joannis, tamquam continentem pestiferum, & hæreticum dogma contra unitatem Ecclesie catholice, & potestatem Summi Pontificis Romani, & Apostolicæ Sedis. continebat etiam plures articulos erroneos, & hæreticos. Ex qua postilla sumebat originem, & fomentum secta quædam pestifera illorum, qui Beguini sunt vulgariter appellati, qui se Fratres pauperes de tertio Ordine S. Francisci Communiter nominabant: ex quibus quam plures fuerant per judicium Prælatorum, & Inquisitorum hæreticæ pravitatis tamquam hæretici condemnati, & relicti judicio curiæ sacerdotalis, & Combusti diversis locis in Provincia Narbonensi &c. &c. (1) additum esse notat

Ray-

(1) Chron. Rom. Pon. M. S. Bibl. Vat. sign.
num. 2048.

Raynaldus in libri margine charactere perinde antiquo: Narbonæ, Biterris, in Capite stagno, apud Pedevacium, apud Lodovam, apud Lunnellum, & Massiliæ, & Carcassonæ, & Tholosæ. Prætereo alia quæ in M. S. Cardinalis Baronii notis, & apud Eymericum, habentur; unicum silentio involvere authorem Pegna non possum, quin eundem sufficiam in locum Joannis de Belna à te repudiati, qui narrationem illius non ex odio aliquo, sed è re natam esse tibi persuadeat, animumque tuum à suspicionibus tandem liberet. Hæc ille(m) Idem inquit Dominus Papa fecit exhumari ossa dicti Fratris Petri Joannis, & omnia tam cercas imagines, quam pannos per manus simplicium ad ejus tumulum deducta Narbonæ fecit publice concremari. &c.

His apud Raynaldum recitatis fideliter Testimoniis, nescio quid superaddi debeat, ut Petrus Joannes fuisset hypocrita, hæreticus, & Patriarcha manifeste comprobetur; tantum enim pro me faciunt, ut vix ultra verbum in residuo opere tuo comprehendam, ad quod responsione mea opus esset. Postulas à me nilominus, ostendam Fratres Spirituales clementinæ: *exivi de paradyso omnino restitisse*: Waddingi itaque præmittenda sunt verba. Ita ipse: *præcepit mox Pontificis nomine*. (subaudi Bertrandus de Tur-

re Minister Aquitaniæ) ut habitus, quos ferebant curtos, strictos, cum capuciis parvis, & inusitatos --- ab Ordinis communitate valde discrepantes deponerent, & alterum secundum Ordinis consuetudinem assumerent, cuius vilitatem, aut qualitatem à locorum consuetudine, & Superiorum iudicio petendam esse Clemens gravissimo Constituto jam in corpus juris redacto (adjicitur in margine: exivi de Paradiso) sanxerat. Responderunt: hoc ex illis unum esse, in quibus Superioribus non erat parendum. (n) Vide, quam memoriter scripsiferis istud in Waddingi annalibus nusquam reperiri posse! reprehendere tamen te non audeo, ne quod semel fecisti, voluntariam paupertatem tuam a me contemni iterum dicas; ad quam respondeat tibi velim magnus Ecclesiæ Doctor Hieronymus (o) grandis fiducia! Petrus piscator erat --- & tamen loquitur confidenter: reliquimus omnia. Atque utinam te ipsum potius mi Campion, quam tua abnegasses, quia fortasse ait Papa Gregorius laboriosum non est homini relinquere sua: sed valde laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare quod habet: valde autem multum est abnegare quod est. Hæc autem eo potissimum fine à me adduci profiteor, ut scias me præter morem Asiaticorum potuisse plurima perpaucis complecti, idque constanter in Opella hac à me factum fuisse; nihil enim

(n) In Annum 1317. num. 10. (o) Lib. 2.
in Matth. cap. 19.

enim in libellis tuis seu argumenti , sive dubii quisquam perspicacis ingenii ultra reperiet , ad quod responsonem lectis semel pagellis istis desideret.

BIBLIOTHECA
Plaude igitur per me tibi , Ordinique tuo , & gloriare: nullam à Religione Seraphica hæresim umquam dimanâsse: nescio tamen , utrum debeat ignominiosius reputari , an paucos nempe è Minoribus hæreticos , num tantos justitiae persecutores emersisse ? illam ego ipsis notam appingere conatus fui , tu hanc sodalitio tuo labem inussisti. Imo utramque; vis enim decorrem Ordinis , ex quo nata est hæresis propterea non leviter violari: fuisse autem damnabili Fraticellorum temeritate contaminatam opprobrio Religionem Seraphicam è Pontificis sententia probas: quis proinde tibi sensus est , nisi ut propudiosam Instituto Franciscano sectam Fraticellorum ex eodem Seminario prodiisse sentias , dicasque? quam confitendi necessitatem ut modo declinares , mecum antea inquirere debebas cur nam Religioni Minorum pestis hæc opprobrio fuisse à Pontifice statuatur? non certe , quod ab iis ortum accepit , quem communitati non posse officere mea prior apologia facile persuaserit : sed quia Fraticelli se solos regulam Sancti Francisci observare ad literam , cæte-

ros vero Religiosos ab ejusdem Instituto alienos dicebant; quemadmodum in Bulla gloriōsam Ecclesiam seditionis Henrici de Ceva sequaces obnubilare Ordinis famam dicuntur, quod se solos de observantia Regulare jactaverint, alios è contra de transgressione Regulæ perperam judicando notarint.

Hic jam finis esset meo Opusculo, nisi veniret mihi in mentem, quam injurius, insolensque per decursum vindiciarum tuarum cucullotenus extiteris, universo Prædicatorum Ordini, seu illustri Sancti Dominici Familiæ, cum recitatos ex ea magni consilii homines, & conspicuæ famæ autores plerumque respueris, atque idem omnibus invidiæ contra Ordinem tuum, & malevolentia vitium imputaveris. Verum dissimulare animi dolorem non possum, quin verbulis aliquot significem, te, cum istud ageres, nec prudentiam in judicando, nec in moderando charitatem præ oculis habuisse: nam, ut livore invidiæ commentitum aliquid adversus Franciscanum Ordinem à Dominicanis proditum fuisse lectori persuaderes, ipsius primum invidiæ causa indicanda tibi erat; ponderanda deinceps injuria, an à privato, num à communitate illata sit? neque enim sana mente aliquis unius obnoxiam Religionem universam traduce,

ducere potest. Tu autem nec causa com-
memorata , nec invidiæ qualitate discussa
blaterorum quorundam testimoniis in trans-
versum actus prompte identidem affirmare
non erubescis , eos adversus Religionem tu-
am male animatos fuisse ! profecto , si Re-
ligionem D. Francisci rite examinem , Ordi-
nique Cyriaco comparem , ne imaginatione
quidem mihi effingere possum , quid Domi-
nicani habeant , quod Franciscanis possint
invidere ? Me præterea angit : tantas inter
Religiosos invidiæ grassationes , contentio-
nes , & æmulationes in volatili hoc tuo o-
pere à te prædicatas fuisse ; vereor enim ,
ne conceptam vulgi , & multorum sæculari-
um hominum contra Sacerdotes , atque Re-
ligiosos opinionem (non opus sapientibus
eam explicare) narratione tua confirmes.
Neque id immerito : nam parvi hujusmodi
libelli ferme ex curiositate promiscue à ple-
risque leguntur , & sæpe in talium oculos
incident , qui alias inscii , atque ignari , o-
mni tamen diligentia coecæ instar gallinæ
granum hinc inde aucupantur , quod sacer-
dotibus garrulitate sua obtendere possint ,
& sapientes hoc modo , ac lecti apparere.
Annales è converso , & ampliora historia-
rum volumina tuto pertractare omnia ex ve-
ro non possunt ; non enim teruntur facile , nisi
à doctioribus , qui facta hujusmodi vel be-
ne interpretari , vel saltem non male ver-
tere solent.

Liberius ergo te complura dixisse plenum est: verum, ut ais non ad ullius contumeliam, sed ad defensionem tuam; quod cum etiam non recte feceris, precibus nilominus tuis moveor, ut inconsulto tibi ignoscam.

Veniam nunc habe, & litigandi mecum finem facito: si enim modestiâ hæc, qua mihi in opusculo isto imperavi, abuti volueris, calamum non abjeceris, siquid demum typis contra me descriptum vulgaveris, Responsionem à me quidem in posterum nullam impetrabis; ab aliis vero quid tibi eventurum sit, Trebatius apud Scriptorem Anonymum vates pronunciet, & litem istam postremo concludat:

SOLVENTUR RISU TABULÆ, TU MISSUS
ABIBIS.



